

MOSIS MENDELSSOHN
OPERA
PHILOSOPHICA,

QUAE
E GERMANICO IN LATINUM


TRADUXIT
JOSEPHUS GROSSINGER



TOMUS SECUNDUS.

VIENNÆ ET LIPSIÆ,
APUD IOANNEM GEORG. MÖSSLER.

1784.



PRAEFATIO AUTORIS.

Sequentes , quos SOCRATES et
amici ejus de Animae immortalitate
inter se miscuere , sermones ABB-
TIO , Familiari meo , dicatos esse
oporteret. Is ipse est , qui mihi
animos addiderat , ut labori huic
jam ante annos aliquot suscep-
to , atque mox seposito , manus iterum
admoverem. Dum Rinteliae * do-
ceret adhuc , datis ad me perami-
cis litteris suam de illo , cui titulus :
Destinatio Hominis , praefigitur ,
SPALDINGII opere mecum commu-

A 2 nica-

* Urbs ditionis Casselanae , cum Aca-
demia Evangelico-Reformata.

nicavit opinionem. E nostro illo
litterarum commercio de promtae
sunt breves illae dissertatiunculae * ,
quas in *Epistolis Litteraturae* **
Tomo XIX insertas reperire est sub
Titulo : *Dubium et Oraculum De-
stinationem Hominis concernens.*
Non mediocri mihi fuerat solatio ,
dum eadem , quae mihi , Familiari
quoque meo stabat sententia , atque
in gravissimis ea de re argumentis
inter nos conveniebat ; quanquam
non

* Quas ego hujus Mendelssohnianorum
Operum editionis Tomo VI exhibi-
turus sum.

** Opus maxima sui parte ab Eruditis
Berolinensibus germanico idiomate
concinnatum , quod certe numeris
omnibus absolutum , et quod dici-
mus *sine pari* nuncupari meretur.
Complectitur Tomos XXIV , quo-
rum versione gratiam me apud Pa-
triam meam initurum spero.

non omni prorsus ex parte satis ei
fecisse valuerim. Singularis profe-
cto erat ille candor animi, quo in-
timos quosque animae suae motus,
atque ipsum etiam Cor suum in si-
num meum effuderat. Philosophi-
cae ejus contemplationes per sua-
ves illas boni cordis affectiones im-
petum aliquem obtinuere, ignem-
que vivacissimum, quo Veritatis
amorem in gelidissimo etiam caete-
roquin pectore accensurae essent;
atque ipsa etiam ejusdem dubia
nunquam intermisere novos quo-
piam aperire prospectus, qui Ve-
ritatem aliqua nunquam adhuc ob-
servata sui parte redderent adspe-
ctabilem. Ex eo, quod simul inie-
ramus, consilio sequentes dialogi
per me elaborandi, et praecipuae
illae, de quibus ejusdem mentis
essemus, pertractandae fuissent sen-
tentiae. Atque hae ipsae basin no-

bis postmodum erant subministrat-
rae, cui nostrum superstrueremus
litterarum commercium.

At vero visum est Divinae Pro-
videntiae, eximum hocce ingenium
ante diem, in ipso flore suo, terris
eripere. Breve fuerat, sed tanto
gloriosius, quod inter nos emensus
erat, vitae stadium. Opus ejus *de*
Merito propriorum meritorum suo-
rum monumentum erit, ex animis
Germanorum nulla unquam tempo-
rum vicissitudine delendum: ejus
quippe aetati comparatum meretur
opus hoc omnem serae Posteritatis
admirationem. Quos enimvero
fructus polliceri nobis poteramus
ab arbore, cuius flores tam amoe-
ni jam fuere, tamque salutares?
Alia quoque sub calamo habebat
opera, quae in perfectione, quem-
admodum ipse in experientia, ani-
mae-

maeque viribus, non mediocre sum-
tura fuerant incrementum. Verum
evanuit omnis spei hujus suavitas !
Germania perdidit in illo Autorem
eximum; Genus humanum amabi-
lem Philosophum, cuius Cor tam
nobile fuerat, quam mens illumina-
nata; Amici Amicum tenerrimum;
ego denique in Sapientiae stadio
viae comitem, qui me ab omni
errore immunem praeservare sata-
gebat. —

Insistens Platonis vestigio, So-
CRATEM pro Immortalitate Animae
coram discipulis suis suprema hora
perorantem inducere volui. Grae-
ci Autoris dialogus, cui titulus:
Phaedon, inscribitur, non vulgari-
bus fane abundat elegantiis, quae
ad confirmandam de Animae Im-
mortalitate sententiam adhiberi me-
rebantur. Inductionis rationem,

ordinem, atque eloquentiam ejusdem in usum meum converteram, et nonnisi argumenta metaphysica aetatis nostrae genio conformare satagebam. In *primo dialogo* penitus aliquanto exemplari meo inhaerere poteram. Diversae argumentandi rationes exiguae solum quoad collocationem permutationis egere mihi videbantur: alias autem alterius cujuspam e primis principiis evolutionis opus habere existimaveram, ut demonstrationis vim obtinerent, quam unusquisque illuminatoris jam aetatis Lector in Platonis dialogo non temere adhuc desiderat. Longa illa, atque declamatoria in corpus humanum, ejusque necessitates invectiva, quam Plato e mente Pythagorae potius, quam e Magistri sui doctrina desumisse videtur, secundum meliores nostras de divinae hujus creaturae

rae pretio ideas multum emolliri
debebat; et tamen citra dubium
adhuc paradoxo satis sono hodier*ri*
Lectoris aures est affectura. Fa-
teor ingenue, me locum hunc
nonnisi in triumphantis illius Plato-
nicae eloquentiae gratiam inviola-
tum adduxisse.

In sequentibus mox necessitat-
em perspexeram, a meo viae co-
mite deflectendi. Argumenta illius,
quae pro Immaterialitate Animae
in medium profert, mihi quidem
adeo levia, atque ludicra etiam vi-
dentur, ut vix severiorem aliquam
animadversionem mereantur. An
autem id ipsum majori nostrae in
Philosophicis perspicaciae, aut ve-
ro rudi nostrae in veterum Philo-
sophorum eloquii ratione imperi-
tiae adscribendum sit potius, nolim
ego isthic supremam ferre senten-

tiam. In *secundo dialogo* ejusmodi demonstrationem pro Animae Immaterialitate elegeram, quam et Platonis jam edidere discipuli, et recentiorum quoque Philosophorum nonnulli ratam habuere: non modo enim convincens mihi visa est, sed commodissime etiam *methodo Socratica* proferri eam posse autumabam.

In *tertio dialogo* jam omne in recentioribus quaerere refugium, atque *SOCRATEM* meum, fere sicur unum aliquem e Saeculo XVII et XVIII Philosophum, sermocinanten inducere me oportebat. Non erat mihi propositum ea proferendi argumenta, quae graeci hujus Philosophi aetate sua induxere animum, ut ejus pro Animae immortalitate staret sententia; sed illud solum palam facere adlaborabam,
quid-

quidnam argumentorum vir ejus-
modi, cuius erat Socrates, qui fi-
dem suam lubens sanae rationi tri-
buit, aetate nostra, post tantorum
virorum fatigia, reperturus esset,
ut Animam suam crederet esse im-
mortalem.

Atque hac demum ratione se-
quens iste inter versionem, et pro-
priae mentis opus intermedius ali-
quis exsurrexit labor meus. An
etiam novi praestiterim quidpiam,
aut repetitam toties cramben ite-
rum recoxerim, aliorum dirimat
aequa rerum litteriarum aestima-
tio. Arduum profecto est, in id-
modi materia, cui tam multa, tam-
que magna inde a saeculis jam in-
sudaverunt ingenia, omni ex parte
esse novum; novitatem autem ad-
flectare velle, perquam ridiculum.
— Si per totius hujus sermonis de-

cur-

eursum Autores recensere voluisse aliquos, PLOTINUS, CARTESIUS, LEIBNIZIUS, WOLFIUS, BAUMGARTENUS, REIMARUS, aliaque immortalis memoriae nomina mihi fuissent celebranda. Forsitan hac etiam ratione luculentius perspecturus erat Lector eruditus, quid de meo aliorum inventis accesserit; verum solius Veritatis studio perinde fuerit, an huic, aut illi eruditorum argumenti vim in acceptis habeat referendam: quanquam omnis ille, cui non fucata mentem occupat rerum Scientia, in gravibus idmodi argumentis *Meum* et *Tuum* perquam accommode noverit discernere. Illud nihilominus unum Lectorem rogatum volo meum, ut ad argumenta illa, quae e moralium Veritatum harmonia, et in specie e Juris et Officii nostri systemate repetebam, paulo atten-

tius

tius advertat animum. Nullus ,
quem memini, Autorum ea un-
quam protulit, quantumque mihi
quidem videtur, perfecte convictu-
ra sunt illum, qui in prima consen-
serit principia. Elocutionis ratio
necessitatem mihi imponebat ea ,
qua pura puta axiomata proferen-
di; apta illa nihilominus existimo ,
quae ad severissimae Logicae rigo-
rem exigi atque reduci valeant. *


* Addit quidem Autor adhuc sequen-
tia: “ *Characterem Socratis* eo solum
„ fine praemittere placuit, ut in le-
„ torum meorum animos tanti Phi-
„ losophi revocem memoriam, qui
„ principem in sequentibus dialogis
„ personam efficit. *Coopers Life of*
„ *Socrates* in hoc proposito filum mi-
„ hi porrixerat quidem, ipsas quo-
„ que nihilominus scaturigines exi-
„ stimavi consulendas. “ Verum
cum editionis hujus meae ratio non

ad-

admittat, ut sexaginta et amplius
paginas isthoc Charaktere Socratis im-
pleam, qui utpote nihil novi, nec
ad ipsam de Anima immortalitate
demonstrationem collaturus esset,
praetermittendum duxi potius, et
Lectorum meum ad notos alioquin
veterum Philosophorum Biographos
relegandum.

PHAE-

PHAEDON,
SIVE DE
IMMORTALITATE
ANIMA E.



PHAEDON,
SIVE DE
IMMORTALITATE
ANIMA E.

Echecrates, Phaedon, Apollodorus, Socrates, Cebes, Crito, Simmias.

DIALOGUS I.

Echecrates.

An tu ipse, mi Phaedon! illum cum Socrate egisti diem, quo is in carcere venenum sumferat? aut alter forsitan aliquis id ipsum tibi retulit?

TOM. II. B *Phae-*

Phaedon.

Ipse aderam, Echebrates!

Echebrates.

Quinam fuere igitur supremi hujus
Viri sermones? quomodo ille e vivis de-
cesserat? non mediocris me tenet isthaec
audiendi cupiditas. Nemo nunc phliasio-
rum Civium nostrorum Athenas petit,
nec Atheniensium quisquam dudum jam
ad nos transierat, qui idmodi nobis per-
ferret documenta. Illud unum intellexi-
mus: Socrates venenum sumisit, diemque
obiit supremum. Nec quidquam ultra.

Phaedon.

Nihilne de lata in eum sententia?

Echebrates.

Recte mones; illud nobis quispiam
retulit. Et vero mirati sumus etiam,
ipsum, postquam morti adjudicatus jam
fuerat, in vivis tamdiu fuisse relictum.
Verum qui isthoc contigit? Phaedon!

Phaedon.

Praeter opinionem prorsus, Eche-
brates! Accidit quippe tum ipsum, ut

na-

navis, quam quot annis Delos mittere
moris est Atheniensibus, ipso ante ejus
condemnationem die fertis fuerit redi-
mita.

Echecrates.

Quidmodi navium genus est isthoc?

Phaedon.

Ea ipsa haec navis est, prout Athe-
nienses perhibent, in qua olim Theseus
septena illa prolium paria deduxit Cre-
tam, ubi et suae, et illorum vitae con-
suluit. Id temporis, uti fama est, Urbs
votum vovit Apollini, si Juventus illa in
salvo fuerit collocata, ei singulis in hac
navi annis pretiosa Delos mittendi mune-
ra; atque ab eo inde tempore data deo
fides rite fuit persoluta.

Tempore, quo sacra navis alto jam-
jam committitur, Sacerdos Apollinis pup-
pim ejus fertis redimit; atque sic dein-
ceps Theoriae festum sumit initium. Fe-
stum hoc celebrari continuat, dum Delos
pertingat navis, dumve isthinc iterum
Athenas repetat. Sub idem tempus Urbs
ab omni sanguinis profusione casta serva-

B 2 tur;

tur; nec fas est per legem, publice morti tradere quemquam. Si navis moram ventis adversis patitur, mortis rei diuturnum per eam lucrari possunt interstitium.

Forte fortuna accidit, prout jam antea dixeram, ut navis una prius sertis redimiretur die, quam morti adjudicaretur Socrates; atque ex eo tot inter mortis sententiam, ipsamque mortem ejus intercessere dies.

Echebrates.

Verum suprema dies, Phaedon! quo illa transacta est modo? quos ille sermones miscuit? quid rerum egit? qui amicorum supremam cum illo horam impenderant? Aut placuit Archontibus forsitan, omnem ab ejus alloquio prohibere hominem? an ille citra ullius amici praesentiam agebat animam?

Phaedon.

Minime illud omnium! multi eorum aderant.

Eche-

Echecrates.

Fac tandem, chare Phaedon! rem
nobis omnem, prout gesta est, enarrare
velis, si tibi per negotia licet.

Phaedon.

Nunc vacat mihi; et agam etiam,
ut votis respondeam vestris. Nihil mihi
suavius, atque mei meminisse Socratis;
de eo miscere sermones, aut de illo au-
dire referentes.

Echecrates.

Et ii, qui te audiunt, Phaedon! ea-
dem tecum sunt sententia. Enarra nobis
igitur ea, qua par es, exactitudine, at-
que ad amissim omnia.

Phaedon.

Ipsus ego intereram, Amice! at mi-
rum in modum afficiebar animo. Nulla
me tangebat miseratio, nulla idmodi an-
xietas, qua nos corripi usuvenit, dum
amicorum quispiam in brachiis nostris
emoritur. Vir iste Beatus mihi visus est,
Echecrates! dignus invidia. Tam man-
fueta, tam quieta erat suprema illa hora
ejus conversatio, tam pacatum postremum

ipsius alloquium. Omnis illius aetio non
quasi hominis ante diem ad orci umbras
descendentis mihi visa est; sed velut *Im-*
mortalis cuiuspiam, qui citra omne du-
biū semet ibi, quo perventurus est,
beatiorem fore, quam quisquam alius
fuerit unquam, sibi persuasum habet.
Qui potuit fieri itaque, ut anxiae illae
animum meum premerent affectiones,
quae morientis de grege alterius cuius-
piam obtutus nostra ferire corda consue-
verunt? Deficiebat nihilominus tunc tem-
poris philosophica Magistri nostri allo-
quia prior illa voluptatis puritas, cui per
ipsa aures assuefactae sunt nostrae. Sin-
gularis aliqua, neque alias animadversa
unquam, corda nostra stupefecit suavita-
tis et amaritudinis permixtio: voluptatem
quippe nostram continuo consumens illa
interrupit Sensatio: mox ille nobis aeter-
num eripitur!

Omnes, qui praesentes eramus, sin-
gularis iste animi status corripuit, atque
oppositi illius effectus perinde singulari
prorsus modo in nostris ocyus sese prodi-
dere vultibus. Jam solvi in risum, jam
in

in fletum visi sumus; atque saepius subridere labia, dum ardentiibus suffundi lachrimis oculi. Qua tamen in re nobis Apollodorus unus omnibus antecelluit. Nostri tu illum, neque animi illius ignoras teneritudinem.

Echebrates.

Quidni ego illum noverim?

Phaedon.

Hic ipse rarissimas quasque gesticulationes fecerat. Omnibus his ille affiebatur ardentius; eripiebatur ille sibi, dum nos subrisimus; dumve nobis quasi rorabant oculi, ille lachrimis inundabat. Parum aberat, quin illius nos magis, quam morientis Amici nostri conspectus tangeret.

Echebrates.

Quinam autem una illic tecum aderant?

Phaedon.

Ex Urbis hujus incolis: *Apollodorus*, *Critobulus*, ejusque Pater *Crito*, *Hermogenes*, *Epigenes*, *Aeschines*, *Ctesippus*, *Menexenus*.

nexus, aliique nonnulli. Plato id temporis, nisi fallor, aegre decubuit.

Echecrates.

An advenarum quoque aderant aliqui?

Phaedon.

Aderant sane; Thebis: Simmias, Cebes, ac Phaedonides. Megara: Euclides et Terpion.

Echecrates.

Quid? an igitur Aristippus, atque Cleombrotus non aderant?

Phaedon.

Non aderant certe; dicuntur Aegine tunc fuisse commorati.

Echecrates.

An itaque nemo alias aderat?

Phaedon.

Nemo, quem memini, alias.

Echecrates.

Age jam, chare mi! quinam erant ii, qui inter vos oborti fuere, sermones?

Phae-

Phaedon.

Rem omnem, prout gesta est, tibi
inde a principio repetam. — Nostri mo-
ris erat, quo in vinculis degebat So-
crates, unoquoque die ad ipsum invise-
re: quem in finem ad illud ipsum, in
quo mortis in eum lata est sententia,
quodve pone carcerem situm erat, cubile
convenimus, familiari nos interim re-
creaturi colloquio, dum adeundi carceris
nobis fieret copia: quod quidem non
mature adeo usuvenit. Utprimum nobis
ad carcerem aditus patuit, Socratem ac-
cessimus illico; et plerumque reliquum
cum eo transegimus diem. Postremo ma-
ne praeter morem aderamus matutius:
praegresso quippe vespere domum redu-
ces navim rediisse Delis intelleximus.
Statutum erat itaque, ut suprema hac
die, quanto possemus oxyus, eum acce-
deremus.

Dum una eramus omnes; obviam
nobis fit, cuius erat, fores referare car-
ceris, claviger, nostrum in carcerem
aditum deprecans, dum ipse nos ultro

evocaret. Undecim quippe Viri, inquietabat, Socratem nunc vinculis exuunt, atque, hodie moriendum esse ipsi, adnunciant. — Non multo post tempore nos evocaturus rediit.

Ingressi Socratem recens solutum vinculis, lectoque incubantem reperimus. Xantippe (nosti eam) ipsi maesto silentio assederat, prolem suam gremio sustinens. Ubi nos conspexerat, pro more mulierum altum ingeminare coepit; O Socrates! tui te hodie amici, tuque illos supremum conspicitis! torrensque lachrimarum has voces exceperat. — Socrates ad Critonem semet convertens, Amice, inquietabat, jube eam referri domum. —

Critonis famuli eam abduxere. Ibat illa, atque ejulabat, pe~~ct~~usque horrendum in modum verberabat suum. Nos stabamus attoniti. Tandem Socrates semet lecto erigens, pedem infle~~ct~~ebat vinculis constrictum antea; tum manu illum leniter perfricans, ad nos conversus: O Amici! inquietabat, quam rara videtur esse res illa, quam homines *gratam* nun-
cu-

cupant! quam mirabilis! Primo obtutu
videtur *ingrato* opposita; cum nihil eodem tempore gratum simul, simulque ingratum esse queat homini: nihilominus tamen nequit ullus harum affectionum alterutram sensuum virtute percipere, absque eo, ut alteram quoque priori oppositam immediate persentiscat; non secus; ac si uno eodemque limite sibi invicem essent copulatae. Siquidem in id ipsum Aesopus advertisset animum, pergebat porro Socrates, forsitan hujusmodi fictus erat fabulam: “ Dii repugnantes „ sibi invicem affectiones amico posthac „ foedere junctas voluere. At vero aetum „ se agere videntes, utrumque earum „ conjunxere limitem: atque ab eo inde „ tempore sibi invicem e vestigio subse- „ quuntur. ” Idem mihi nunc evenit, Amici! vincula mihi dolorem adscivere; jam vero resolutis iis grata subsequitur affectio.

Per Jovem! interrupit sermonem Cebes, recte me mones, Socrates! diceris tu quoddam in carcere perfecisse Poëma, Aesopi videlicet fabulas reddidisse carmine;

mine; ad haec hymnum quoque cecinisse Apollini. Jam multi ex me sciscitati sunt, et quidem Poëta *Evenus* p̄ae reliquis, quid tibi isthic loci stimulo esse potuerit, ut versus condere, qui nihil simile unquam susceperas antea? An *Euenum* hujus facti tui causam edoceam, si eam ultro ex me quæsierit? et quaeret citra dubium. Dic igitur, quid ei me responsi reddere oporteat.

Nihil ei, mi Cebes! reposuit Socrates, nihil ei praeter veritatem dixeris; nimirum non eo me sine isthaec concepisse poëmata, ut in arte poëtica palmam ipsi praeriperem; quam quippe arduum id ipsum foret, probe noveram. Verum nonnisi somnii cuiusdam gratia id per me factum sciat *Evenus*, velim. Huic ego somnio, secundum omnem possibilem ejusdem significationem, conformare vitam meam statui; atque ea de causa in hoc quoque Musices genere, arte videlicet poëtica, vires meas periclitari proponebam. Sic autem se res habet: Praeteritis temporibus saepissime somnium mihi obvenerat, sub diversis quidem for-

formis spectabile, unum tamen semper, idemque mihi praecipiens: *Socrates! da Musicae operam, et fac, illam quoque exercetas.* Adhuc temporis monitio isthaec nonnisi id generis calcar esse mihi visa est, quod stadiodromis addi consuevit. Somnium hoc, repetebam ipse mihi, nihil me novi jubet exequi; *Philosophia quippe perfectissima est Musica, atque in hanc nunquam non incubui quam solertissime.* Nihil igitur nisi stimulos industriae meae, meoque philosophandi ardori addere vult somnium isthoc, ne in me algescant forsitan. Nunc autem, postquam mortis adversum me lata est sententia, festumque Apollinis meum e vivis decesum in tempus aliquod sustulit, mentem cogitatio subiit, annon mihi forsitan praeceptum fore proximi Musicae generis exercitium; satisque habebam otii, quin hanc ego irritam per me reddi cogitationem finerem. Ab hymno autem sumebam initium, quem Deo, cuius tunc agebantur solemnia, cecineram. Verum paulo mihi post in mentem venerat, eum, qui Poëta esse desiderat, fictiones pertractare, et non ratiocinia

opor-

oportere: hymnus autem nihil prorsus in se fictionis contineat, est necesse. Jam vero, cum ipse nulla praeditus sim fingendi facultate, aliorum hominum inventis me uti oportuit; quae igitur mihi primum sub manus venerant, carmine reddidi Aesopi fabulas. — Isthoc tu, mi Cebes! responsi dare potes Eveno. Dic eidem ex me salutem; et suade, si sapiens est, mea non moretur sequi vestigia. Ego quippe citra omne dubium, jussu Atheniensium, hodierna adhuc luce peregre sumabiturus.

Atque hoc illudne sit, quod tu Eveno precaris? quaerebat Simmias. Novi ego virum hunc, quam qui optime; et quantum ego quidem de eo ferre possum judicium, exiguum ille tibi sane fuerit pro hac preicatione tua redditurus gratiam. — Quid? reposuit ille; an igitur Evenus non est Philosophus? — Mihi quidem is esse videtur; ajebat Simmias. — Si ita; tum certe lubens me fecuturus est, inferebat Socrates. Ille, et quisquam aliis, qui isthoc dignus est nomine. — Non ille quidem violentam ipse

ipse sibi illatus est manum; hoc quippe nefas foret, prout nemo ullus ignoraverit. — His dictis utrumque pedem et lecto in terram demiserat, suum hoc situ sermonem prosecuturus.

Tum Cebes institit: Qui hoc per nos intellectum volebas, Socrates! nefas fuerit, inquiebas, violentam sibi ipsi inferre manum: et tamen unumquemque Philosophorum decuerit, citra taedium sequi morientem?

Quid? Cebes! reponebat Socrates; tu et Simmias, uterque Philolaum Philosophum audiistis; nihilne ille vobis unquam de his retulit?

Nihil ex professo, mi Socrates!

Conmodum igitur; diversa ego hanc in rem audiveram, lubensque vobiscum communicabo omnia. — Opinione mea, quisquis peregrinari desiderat, rationem habet de illius regionis, in quam pervenire cogitat, constitutione penitus percontandi; ut rectam sibi de illa formare queat

queat ideam. Sermo igitur iste praesentibus hisce circumstantiis meis perquam accommodus. Et quid demum etiam ho- dierna die ad solis occasum usque gra- vius suscipi posset, aut utilius?

Quomodo demonstratur, quaerebat Cebes, vetitum esse *Suicidium*. — Phi- lolaus, aliquie Magistri mei multifariam quidem inculcabant mihi, illud esse veti- tum; at nihil his amplius per quemquam dictum est mihi. —

Esto igitur! faciamus in nobis peri- culum, annon amplius quid ex hoc deduci queat. Quid tibi videtur? Cebes! Ego assero, *Suicidium* absolute, in omni possibili casu, esse vetitum. Novimus id- modi dari homines, quibus expediret mortuos esse, quam vivos. Mirum tibi jam illud forte videri posset, morum san- citatem ab infelicibus etiam his exigere, ut sibimet ipsis non velint benefacere, sed benignam potius aliquam praestolen- tur manum. — Istud equidem vox Jovis aliqua nobis manifestum fecerit! reposuit Cebes subridentis instar.

Et

Et tamen non est tam arditum, imaginariam hanc absurditatem argumentis dirimere. Quod in mysteriis dici usuvenit, quod nos homines isthic tanquam in excubiiis positi essemus; adeoque statione nostra decedere vetitum foret nobis, priusquam ab ea evocaremur, non caret omni fundamento, quanquam non facile adeo fuerit, id ipsum mente nostra assequi. Verum praesto mihi sunt ratiocinia quaepiam, captu haud difficultia. — Ego illud pro comperto haberi, praemittiique posse existimo, deos (verum finite, Deum dicam; quis enim jam est, quem vercar?) Deum esse Proprietarium nostrum; nos ejus proprietatem, ipsius denique Providentiam Bonum nostrum curare. Annon perspicuae vobis sunt Propositiones istae?

Quam maxime; ajebat Cebes.

Servus, qui sub benigni domini tutela est, perperam agit, si ejus intentioni semet opponat, nunquid?

Omnino,

Forsitan, si vel scintilla honestatis
in ejus sinu micat, vera ei voluptas fue-
rit, vota Domini sui per se impleta vide-
re; idque tanto magis, quanto de inten-
tione Domini sui certior esse potest, quod
proprium ipsius commodum de his votis
etiam participet.

Egregie, mi Socrates!

Verum, Cebes! dum increatus ille
Architectus artificiosam humani corporis
compagm struxerat, eidemque rationale
quodpiam ens indiderat, bono illud an
malo fine factum putas?

Bono, citra dubium,

Secus quippe essentiam ipse suam,
Benignitatem videlicet se ipsa subsistен-
tem, abnegare deberet, si actionibus suis
malos posset fines conjungere: jam autem
qualis ille Deus, qui suam ipse essentiam
abnegare potest?

Non-ens fuerit, mi Socrates! deus
poëticus, cui vulgus credulum variabiles
for-

formas adsingit. Bene adhuc argumentorum memini, quibus tu alia occasione impium hunc errorem impugnaveras.

Idem Deus, Cebes! qui corpus struxerat, illud etiam viribus muniebat, quae ipsum roborent, conservent, atque a praematuero interitu custodiant. An conservatricibus quoque hisce viribus summe benignas pro scopo intentiones tribuere volumus?

Quomodo possemus alias?

Debet igitur nobis, qua fidelibus subditis religioni esse, ut intentionem Proprietarii nostri ad suam pertingere perfectionem finamus, neque violento aliquo modo cursum ejus interturbemus; quin potius omnes liberas actiones nostras iis quam perfectissime conformare satagamus.

Atque ea de causa, mi chare Cebes! asseverabam, Philosophiam praestantissimam esse musicam; ipsa quippe nos docet, cogitationes actionesque nostras ita

ordinare, ut, quantum quidem valemus, cum intentionibus supremi Proprietarii nostri perfecte concordent. Jam si Musica scientia est, debile cum forti, asperum cum suavi, ingratum cum grato in harmoniam aliquam reducendi; tum certe nulla aut magnificentior, aut praestantior Musica fuerit, quam Philosophia, quae nos docet, non modo cogitationes actionesque nostras inter se, sed etiam actiones finiti cum intentionibus Infiniti, cogitationes terricolae cum cogitationibus Omnisccii in magnam aliquam, atque admirandam prorsus harmoniam concordare. — Et tamen, o Cebes! temerarius unus mortalium aliquis volupem hanc dirimere praesumat harmoniam?

Profecto deorum, hominumque abominationem mereretur, dilecte mi Socrates!

Verum et illud mihi dixeris, Amice! An vires Naturae non sunt ministrae Dei, quae ejus mandata exequuntur?

Sunt certe.

Quidni

Quidni igitur etiam divinatrices fuerint, quae nobis intentionem, ac voluntatem Deitatis multo exactius adnunciant, quam exta victimarum? illud namque contra controversiam pro Decreto Omnipotentis habendum est, in quod omnes ab ipso creatae vires conspirant, nunquid?

Quis illud negaverit?

Quamdiu ergo divinatrices hae nobis indicant, conservationem vitae nostrae ad fines Dei pertinere, tamdiu obligamur liberas actiones nostras iisdem conformare, neque libertatem, et jus habemus conservaticibus naturae nostrae viribus vim inferendi, atque supremae Sapientiae ministras in sua operatione interturbandi. Obligatio haec tamdiu nobis incumbit, donec Deus per easdem manifestum nobis mandatum miserit, hac vita nostra decadendi; prout ille mihi hodie id ipsum submiserat.

Plene mihi persuasum reddidisti animum, dicebat Cebes; verum tanto mihi magis mirari subit, mi Socrates! quomo-

do tu ipse antea dicere potueris, quemvis Philosophum oportere desiderio teneri, morientem aliquem subsequendi. Si verum illud est, quod nunc ipse asseveraveras, nimirum Dei nos Proprietatem esse, illique nostrum curae esse Bonum; tum certe assertum illud quidpiam absurditatis habet. Quid enim? annon dolori sit Viro sapienti, si praestita haec tenus supremo Domino suo, qui optimus ac benignissimus ipsius Protector est, interrumpere cogatur servitia? — Etiamsi spe ducetur, per mortem non modo libertatem, sed proprium quoque dominium impletandi; quomodo posset tamen imprudens Pupillus sibimet polliceri, propriis se viribus tutius substiturum, quam sub protectione sapientissimi Tutoris sui? — Existimarem potius, non mediocrem fore imprudentiam, si quis absolute in libertatem poni, quam optimi etiam Domini tutelae semet submittere mallet. Nemo profecto sanae mentis unquam recusabit, cum voluptate sese alterius cuiuspiam curae concredere, cuius prudentiae plus deferri posse ipse existimat, quam suae. Hac ego ratione opinionem tuae e diametro

metro opositam rite illatus essem. Sapientem, dicerem, tristem esse oportebit; stultum contra laetum, dum ipsi fuerit moriendum.

Socrates intento erat in ejus sermonem animo, neque mediocrem ex ejus ingenii acie voluptatem capere videbatur. Tum conversus ad eum inquiebat: Cebes enimvero egregie novit aciem obvertere illi, qui contrariam ipsi molitur statuere sententiam. Non deficiunt ipsum effugia.

Nunc equidem, addebat Simmias, non prorsus abs re locutus fuisse videtur Cebes, mi Socrates! Non video sane, quid id ipsum esse posset, quo Sapiens quisquam persuaderi queat, ut circa fastidium benignae sapientissimi Protectoris providentiae semet velit subtrahere? — Et vero, nisi fallor, Socrates! haud temere propriam tuam, quam praetefers, agendi rationem objectionibus suis tangere videtur Cebes. Adeo quippe composito, adeo submisso non modo nos omnes, qui tuum e vivis decessum aeger-

time ferimus, relinquis animo; sed tute-
lae quoque, ac providentiae tanti Domi-
ni temet surripis, quem tamen qua sa-
pientissimum perinde ac benignissimum
Ens nobis proposueras venerandum.

Itane? reponebat *Socrates*. Causa
mihi indicitur, ut audio. Mea igitur mi-
himet incumbet defensio?

Incumbet certe; ajebat *Simmias*.

Bene id quidem; innuebat *Socrates*.
Satagam itaque, causam meam exactius
modo suscipere, quam coram judicibus
meis id ipsum praestiterim. Audi igitur,
Simmia! et tu quoque, *Cebes!* audi.

Si spes non adfulgeret mihi, fore,
ut ibi quoque, quo perventurus sum,
primum sub eodem benignissimo Prote-
tore degam; alterum, ut vita functorum
ibidem animas reperiam, quarum profe-
ctio conversatio omni terrenae praeferen-
da est amicitiae; tum certe dementiae ar-
gui possem, quod mortem vili adeo pen-
dam, ejusque quasi in amplexus ruam.

Sic

Sic autem me spes alit uberrima , utroque horum me affatim potiturum. Postremum quidem non ausim citra omnem prorsus incertitudinem afferere ; verum divinam illic quoque Providentiam mihi praesto futuram , Amici ! tanta cum fiducia pronuncio , tanta cum certitudine , ut nihil quidquam in vita magis per me assertum sciam. Ea quoque de causa nullus mihi moeror , metus nullus , quod e vivis me decidere oporteat ; probe quippe novi , post obitum nostrum non omnia nobiscum interitura. Alia vita sequitur , et quidem ejusmodi , quae , prout vetus fert adagium , probis multo felicior futura est , quam improbis.

Quid ita ? ajebat Simmias ; an tu , chare Socrates ! salutarem adeo veritatem intimis animi tui penetralibus conclusam tecum auferre cogitas ? aut vero nobis quoque communicare doctrinam , quae tantum bonaे spei complectitur ? Aequare certe fuerit , amicos quoque suos tanti boni reddere participes ; cui et illud acceperit , quod , si nos de opinionis tuae certitudine conviceris , litem , quam

tibi movimus, ex integro sis compositurus. Juverit itaque periculum facere; reponebat ille. Verum finite, Critonem audiamus antea; dudum ille jam dicere mihi quidpiam velle videtur.

Ego? nihil prorsus, mi dilecte! inquietabat *Crito*. — Vir hic, qui venenum tibi propinandum habet, continuo me urget, ut rogarem te, prolixo sermone abstineas. Incalescit homo praeter modum, inquit ille, tumque non tanta vi Potos in illum egerit. Saepius oportuuisse dicit et secundum et tertium parari potum pro hominibus, qui nimium sermonem interrumpere recusarent.

Sine illum, per deos! dicebat *Socrates*, ire, munusque suum execui. Promtum habeat et potum alterum, aut tertium quoque, si lubet. —

Hoc equidem responsum divinabar ipse mihi, ajebat *Crito*; verum non cedit homo iste. — —

Sine,

Sine, inquam, illum; reposuit Socrates: mihi isthic cum meis lis compонenda est judicibus, atque reddenda ratio, cur hominem, qui in amore Sapientiae incanuit, postremis vitae horis laeto oporteat esse animo, cum inde a morte summam sibi polliceri possit felicitatem. Quo autem id ipsum argumento proloquar, vobis Simmia, ac Cebes! manifestum reddere satagam. —

Illud forsitan paucissimis cognitum fuerit, Amici mei! eum, qui toto pectori Sapientiae semet mancipaverat, omne vitae suae tempus in id impendere, ut cum morte reddatur confidentior, discatque mori. Quodsi autem ita est, quam illud absurdum fuerit, per vitam omnem vota omnia, omnesque labores in unum nonnisi scopum convertere, et tamen moerore affici, si desideratum tam diu scopum tandem aliquando attigeris?

Subrisit Simmias, per Jovem! inquiens, ridendum est mihi; quanquam nihil minus mihi nunc, quam risus, arribeat. Isthoc ipsum certe, quod asseris,
plebs

plebs rudis non adeo stupuerit, quam
tu forsitan existimes. Nostra p[ro]ae reli-
quis citra dubium repositura esset tibi,
perbene sibi perspectum esse, mori di-
scere voluisse Sapientes; idque ipsum eis
abs se fuisse praestitum, quod mereban-
tur, cujusque tanto flagabant desiderio.

Ego quidem cuncta plebi concesse-
ro, Simmia! id unum negavero tamen,
illud ipsi perspectum esse etiam. — Ne-
ficit vulgus, quid mors illa sit, quae adeo
exoptata est Sapientibus; neque illud
perspicit, quanam ratione morte digni-
dicantur Sapientes. — — Verum quid
nobis cum vulgo? mihi nunc cum amicis
meis sermo est.

Annon Mors idmodi quid est, quod
verbis exprimi queat?

Est certe idmodi quidpiam; repone-
bat Simmias.

An enim Mors aliud quid est, quam
corporis animaeque a se invicem divul-
sio? — an mori aliud quid significat,
quam

quam dum anima corpus, corpusque animam ea ratione deserit, ut nulla jam inter utrumque intercedat necessitudo, nullum commercium; sed unumquodque se solo subsistat? — an tu quidquam de morte luculentum magis nosti?

Nihil mihi sane, quod memini, de morte luculentum magis.

Adverte jam animum, Amice! an eadem mecum sis sententia. Quid tibi videtur? an verus Philosophus iis, quas carnis dicimus, voluptatibus inhiabit? an pretiosis cibis et potibus praeter modum delestat?

Nihil hoc minus crediderim; respondebat Simmias.

An Veneri litabit?

Neque hoc existimavero.

Quid autem de ceteris commoditatibus corporis? an ei vestitus ratio ad fastum, luxumque comparata? an contra

Ne-

Necessariis contentus erit, neque superfluum quid appetet?

Quo carere potest, id non est curae Philosopho.

Annon in universum dici per nos potest, instabat Socrates, Philosophum in id potissimum incumbere, ut inutilibus corporis curis semet expediat, atque sic majori cum vigilantia Animae necessitatibus occurrat?

Quid obstat, quin id per nos dici possit?

Vel hoc uno igitur magna jam inter Philosophum, reliquumque hominum gregem intercedit diversitas, quod is non sifnat corporeis animum suum captivari necessitatibus, sed a corporis consortio suam desuefacere animam satagat?

Sic mihi videtur certe.

Maxima pars hominum, o Simmia! tibi dictura est, non mereri cum vivere, qui

qui vitae hujus deliciis frui recusat. Illud ii mortis appellant desiderium, si quis sensuum renunciat voluptatibus, cunctisque carnis illecebris abstinet.

Isthoc equidem recte observas, mi Socrates!

Sine, progrediar. Annon corpus saepenumero Philosopho moram ponit in meditando? an ille sibi peculiarem aliquem in Sapientia progressum polliceri potest, si mentem a corporeis objectis avertere non didicit? — Dicam clarius. Perceptiones Visus et Auditus, prout ab objectis ad nos perveniunt, non nisi singulares sunt affectiones, non adhuc Veritates; has quippe ex iis primum Ratio eruendas habet, nunquid?

Ita sane?

Non est iis, qua particularibus affectionibus, habenda ex integro fides; neque enim abs re Poëtas cecinisse putemus: *Illudunt sensus, nec clare cuncta prebendunt.* Quidquid sive audimus, sive cerni-

cernimus, plenum est confusionis, plenum obscuritatis. Si autem duo hi sensus nequeunt distinctas nobis reddere perceptiones; quid de reliquis, utpote his multo imperfectioribus, censendum habebimus?

Non multum bonae frugis certe.

Quid igitur factio opus habebit anima, si Veritatem consequi desiderat? si quidem sensuum autoritate nititur, sibi met ipsi est impositura.

Impositura citra dubium.

Meditari oportebit igitur Animam, ferre judicium, formare consequentias, inventare; ut hisce mediis, quantum quidem fieri potest, in ipsas rerum penetret essentias.

Haud secus equidem.

Verum quando potissimum meditando par redditur anima? Mihi tum quidem videtur vel maxime, cum nobismet ipsis

ipsis quodammodo eripimur; cum neque Visus, neque Auditus, nec gratae, nec ingratae cujusquam affectionis mentem subit recordatio. Tum namque suam a corpore attentionem revocat anima; defert, qua par est, ejus consortium, hac ratione in semetipsam quasi resorpta, non sensuum incantamenta, sed essentiam, non perceptiones, quas illi nobis obtrudunt, sed contentam in ipsis Veritatem penitus expensura.

Recte.

Nova iterum occasio, qua Sapientis anima corpus suum vitare quodammodo, atque sese, quantum valet, ab eodem avertere necessum habet.

Ita quidem videtur certe.

Ut id ipsum tanto perspiciamus distinctius, quaero: An *Suprema Perfectio* non nisi ideale aut imaginarium aliquid est, absque reali objecto? aut vero reapse Ens quodpiam, quod extra nos realiter existit?

TOM. II.

D

Reale

Reale profecto, mi Socrates! extra nos positum, reapse existens, illuminatum Ens, cui Existentia per eminentiam prae caeteris entibus omnibus competit, est necesse.

Quid autem *Suprema Bonitas?* quid *Suprema Sapientia?* an haec quoque sunt realiter existens aliquid?

Per Jovem! ita. Inseparabilia sunt ista Entis omnium entium perfectissimi attributa, sine quibus illud ne quidem existere potest.

Quis autem Ens illud nobis notum reddidit? — Corporeis equidem non crediderim illud nobis visum fuisse oculis?

Non est visum certe.

Neque audivimus illud, nunquid? neque tetigimus? — nullus externorum sensuum unquam aliquam de Sapientia, Bonitate, Perfectione, Pulchritudine, Cogitandi facultate, etc. ideam nobis ob-

obtulit; et tamen nullum nobis dubium est, ista extra nos reapse existere, et quidem in gradu perfectissimo existere. — An nemo ullus id nobis declaraturus est, qui factum sit, ut hae nobis obortae sint ideae?

Reposuit Simmias: Vox Jovis, mi Socrates! nulla, nisi Vox Jovis illud nobis palam factura est. — Nunquam ego ad hanc non provocabo.

Quid? Amici mei! si in proximo cubili amoenum aliquem tibiae sonum perciperemus, annon una festinaremus in illud, ipsum etiam, qui illa canit, tamque suavi aures nostras recreare novit sonitu, virum videndi gratia?

Nunc forsitan minime festinaturi essemus, reponebat subridentis instar Simmias, dum eximiam isthic coram audimus musicam.

Si picturam contemplamur aliquam, pergebat porro Socrates, ipsam quoque manum artificis nosse cupimus, qui can-

dem perfecerat. Jam autem in nobis met
ipsis recondita est imago illa artificiosior
fane, quam unquam deorum hominum
que visa sit oculis; imago supremae Per
fectionis, Bonitatis, Sapientiae, Pulchri
tudinis, etc; et tamen nunquam adhuc
nos incessit pictoris illius, qui hasce no
bis impressit imagines, videndi deside
rium?

Reposuit Cebes: Memini ego, olim
e Philolao aliquam accepisse explicatio
nem, quae huic satis forsitan factura est
argumento.

Ad haec Socrates: an Cebes amicos
suos acceptae a beato Philolao haeredita
tis non vult reddere participes?

Si amici mei, reponebat Cebes, ex
plicationem hanc non potius a Socrate
aliquo audire mallent. Verum esto! —
Omnes ideas rerum incorporearum, aje
bat Philolaus, non percipit Anima per
sensus externos, sed adipiscitur illas per
semetipsam; cum continuo proprias suas
contempletur actiones, et per has pro
priam

priam suam essentiam atque adtributa norit perspicere. Quod ipsum ut tanto redderet luculentius, saepius illum fictionem aliquam recensere audieram. Sinite, solebat ille dicere, finite, mutuemus ab Homero binas illas, quae in Jovis atrio jacent, urnas; tum rogemus simul fieri nobis copiam, non fortuna et infortunio, sed eam, quae dextra collocata est parte, *realibus entitatibus*, quae autem sinistra, *defectu* atque *non-entibus* replendi.

— Quotiescumque Jovis omnipotentia Spiritum aliquem producere cogitat, ex utraque haurit urna, atque, sublati ad aeternum Fatum oculis, secundum ejusdem nutum ac beneplacitum miscelam praeparat ex entitate et defectu aliquam, quae universam postea futuri Spiritus in se complectitur basin principalem. Atque hinc repetenda est admirabilis illa inter omne Spirituum genus aequalitas: cuncti enim ex his ipsis hausti sunt urnis, neque ulla alia inter illos, quam dictae mixtionis intercedit diversitas. Si igitur Anima nostra, quae perinde nihil aliud est, quam idmodi aliqua ex entitate et defectu permixtio, semetipsam considerat,

tum de essentia Spirituum, eorundemque limitibus, de potentia et impotentia, de perfectione et imperfectione, de intellectu, de Sapientia, de Virtute, intentione, pulchritudine, justitia, atque millesimis aliis rebus incorporeis, de quibus sensus externi profundissimam ipsi reliqui essent ignorantiam, nanciscitur ideam.

Quam omni comparatione major est isthaec Philolai inventio! inferebat *Socrates*. Vide, mi Cebes! tantum tu thesauros possederas, et me tamen e vivis fineres excedere, quin mihi eundem ostensurus fueras unquam. Verum sine, videamus, quanam thesauro hoc ante mortem adhuc frui ratione valeamus. Philolaus dicebat igitur: *Anima cognoscit socios spiritus, dum se metipsam considerat. Nunquid?*

Ita sane?

Atque rerum incorporarum ideas adipiscitur, dum proprias Facultates suas inter se comparat, sicque dein, ut tanto easdem a se invicem discernere queat luculent-

culentius, suum cuivis singillatim nomen
adtribuit?

Omnino.

Si autem Ens aliquod se ipsa sublimius, e. g. Daemonem aliquem, sibi representare velit, quis illi competentes subministraturus est ideas?

Conticuit Cebes; Socrates autem hinc suum prosecutus est sermonem: Si Philolai mentem recte assecutus sum, nequit Anima sibi quidem de sublimiori aliquo Ente, quam ipsa sit, neque de sublimiori aliqua Facultate, quam qua ipsa sit praedita, condignam formare ideam: at vero potest illa quam rectissime generatim entis cuiuspiam concipere possibilitatem, cui plus entitatis, et minus defectuum erat adtributum, quam sibi ipsi; id est, quod perfectius sit, quam illa ipsa. — Aut forsitan aliam tibi Philolaus exhibuit ideam?

Non aliam certe.

Et vero etiam de supremo illo Ente,
de supra illa Perfectione nihil aliud
ipsi elucet, quam tenuis iste aliqualis
tantum ideae fulgor. Nequit illa ejus Ef-
fentiam, quanta quanta est, adaequate per-
spicere *, sed propriam suam illa solum
cogi-

* Philosophorum nonnulli ea nos humiliare
volunt contemplatione, quod de DEO igno-
remus, *quid sit*, illudque sciamus solum,
quid non sit; remque omnem sophistico ali-
quo stratagemate eo demum noverunt per-
ducere, ut inferri posse putetur, nihil
prorsus de DEO, ejusdemque attributis no-
bis esse perspectum. Nequit illud quidem
revocari in dubium, quod multum nobis
adhuc desit ad perfectam rei cuiusdam
ideam, etiamsi noverimus, eam hoc illude-
re non esse; verum quoties jam id ipsum
in genere repetitum est, quod Enti perfe-
ctissimo nonnisi defectus et limitationes ad-
judicemus, et ejusmodi negativorum ratio
positivorum vicem suppleat, verumque va-
lorem obtineat? Quod interdum e re nostra
fore reputemus, si proprietates divinas ne-
gativa ratione exprimamus, proprie nonnisi
nostrarum de DEO idearum origini habemus
adscribendum; utpote quae priorum de-
fectuum

cogitat essentiam; illud nimirum, quod ipsa Veritatis, Bonitatis, ac Perfectionis habet,

fectuum nostrorum, ac fragilitatum negotiationem pro fundamento habent. Vox haec, *immutabilis*, negotio est cuiusdam imperfectionis, et reapse involvit ideam *positivam*, videlicet: *Semper Idem*; verum nos ideam hanc ideo negative exprimimus, quia per negationem propriae *mutabilitatis* nostrae ad eam perduci sumus. Hoc igitur sensu supradicta propositio suo caret fundamento, nostrae enim de DEO ideae non repraesentant nobis, *quid DEUS non sit*; sed *quid DEO non desit*. Si autem propositione illa nonnisi id evictum volunt, quod de positivis DEI proprietatibus nullam Cognitionem Intuitivam, nullam innatam ideam habebamus; tum enimvero lubentes ipsis vietas damus manus: attamen praeservando nobis inanitatem ac inertiam corollariorum omnium, quae nequam sophista aliquis ex innocua caeteroquin propositione ista deducere non duceret sibi religioni. Exiguum illud, quod nobis de proprietatibus divinis cognitum est, ex eo nec Veritatem suam amittit adhuc, nec certitudinem, nec vivacitatem, nec evidentiam. Tametsi enim divinarum Perfectionum immensitatem nullo

habet, cogitatione sua separat a defectu et non - entitate , quibuscum videlicet illae in ipsa permixtae consistunt; atque sic demum perducitur ad ideam illam entis ejusmodi, quod mera Essentia, mera Veritas, mera Bonitas, et Perfectio est.

Apol-

unquam tempore Anima nostra *in se ipsa* persentificat , per intimam illam sui ipsius cognitionem intuitivam viam sibi tamen sternit aliquam ad ipsas illas Perfectiones perdiscendas ; atque hoc ipsum intuitive cognitum principium , addita symbolica illa defectuum ac limitationum secrezione , non mediocri sane dogmatum et consequentiarum copiae invictam praestat certitudinem . **SAUNDERSON** nullam unquam ipse percepserat *Luminis* ideam ; universalis tamen illa Visus cum caeteris sensibus aequalitas et harmonia eo rem perduxerat, ut possibile fuerit , quaedam illi per auditum repraesentare lucis radiorum notas ; et tota illa Opticae theoria , quam nonnisi ex hisce principiis postmodum discipulis suis explanaverat , inconcussa nihilominus perfistebat .

Apollodorus, qui singula Socratis verba ad ultimum usque secum ipse tacitus repetebat, ad haec quasi in extasin raptus altum exclamabat: Ens profecto ejusmodi, quod mera Essentia, quod mera Bonitas, quod mera Perfectio est!

Tum autem pergebat *Socrates*: Videlicet jam, Amici mei! quantopere Philosophus sese a sensibus, eorumque objectis avertere debeat, si illud perspicere desiderat, quod perspexisse verae felicitatis est; supremum videlicet, ac perfectissimum illud *Ens*! In sublimi hac cogitationum suarum persecutione oculos auresque occludat, dolorem et voluptatem sensuum abs se procul arceat, et, si possibile foret, totius corporis sui obliviscatur, est necesse, ut tanto majori cum solitudine sese, quantus quantus est, ad animae suae facultates, ejusque activitatem internam valeat restringere,

Corpus est Intellectui ejus in hac indagatione non inutilis modo, sed modestus etiam vitae socius; nunc etenim nec colorem querit, nec quantitatem,
nec

nec tonos, nec motum, sed rem ejusmodi, quae omnes possibles colores, quantitates, tonos, motus, quodve his amplius est, omnes etiam possibles Spiritus quam adaequatissime repraesentat, et in omnibus, quas vel mente assequi licet, ordinibus producere valet. Quam igitur impotens viae comes est in hac peregrinatione Corpus!

Quanta subtilitas! exclamabat *Simias*, at vero quanta etiam Veritas!

Veri Philosophi, instabat *Socrates*, qui argumenta haec absque praejudicio expenderint, non possunt diversam a mea animo suo fovere sententiam; neque sibi invicem hac ratione colloqui: En labyrinthum! quae nos continuo magis magisque a proposito nobis termino abducit, omnesque spes nostras reddit inanes. Certum illud est, cognitionem Veritatis unicum esse desiderium nostrum: verum, donec in hac terra cum corpore nostro agitamus, donec Anima nostra hac peste terrena circumdatur, incassum adulamur nobis, fore, ut votum hocce nostrum omni

omni ex parte impletum videre valeamus.
Veritatem nos quaerere oporteret. Eheu!
quam parum nobis relinquit otii corpus
nostrum ad tanti momenti pervestigatio-
nem! Hodie sustentatio ejus omnem cu-
ram, studiumque nostrum exigit; cras
illud morbi corripiunt, qui nostrae mo-
ras iterum, obicemque ponunt indu-
striae; tum alia quoque corporis sequun-
tur incommoda, amor, metus, desideria,
vota, phantasmatum, et dementiae, quae
nos indesinenter distrahunt, quae sen-
sus nostros ab una vanitate ad aliam alli-
ciunt, nosque ad verum votorum nostro-
rum objectum, ad Sapientiam, incassum
adspirare finunt. Quis excitat bella, se-
ditiones, pugnas, et discordias inter ho-
mines? quis inquam aliis, quam corpus
nostrum, atque insatiabiles ejusdem cupi-
ditates? Auri sacra fames omnium ma-
ter est inquietudinum, Animaque nostra
nunquam proprietarias adfectaret posse-
fiones, nisi voracibus corporis sui deside-
riis satisfaciendum haberet. Hac nempe
ratione maximam vitae nostrae partem
occupamur, rarumque nobis ad Sapien-
tiam relinquitur otium. Etsi demum etiam

vacan-

vacantem aliquam subsuramur horam, paratosque nos reddimus ad amplectendam Veritatem, illico pessimus iste felicitatis nostrae perfurbator, Corpus, viam nobis praescindit, suaque nobis in Veritatis locum substituit umbras. Sensus, ingratias nostris, sua nobis objiciunt phantasmat, replentque nostram confusione, obscuritate, hebetudine, fucoque animam: et in tam universali nihilominus seditione ista recte cogitare, atque Veritatem assequi eam oporteret? Nunquam illud sane! — Necessem igitur habemus, beata illa praestolari temporum momenta, quibus silentium foris, quiesve intus felicitatem nobis offert, corpus totum, quantum est, obliviscendi, oculisque spiritualibus solam contemplandi Veritatem. At vero quam rara, quamve brevia sunt beata illa temporum momenta! —

Manifeste perspicimus utique, votorum nostrorum metam, Sapientiam, non ante nos posse adtingere, quam post mortem nostram: dum vivimus, nulla nobis ejus assequendae spes adfulget. Nam si Anima, donec in corpore hoc
mora-

moratur, Veritatem nequit distinete cognoscere, unum nobis e duobus erit acceptandum: vel, quod nunquam eam cognituri simus; vel, quod nonnisi post mortem eam simus cognituri; cum Anima tunc Corpus deserat, et, prout facile conjectura licet assequi, in suo ad Sapientiam progressu multo minus impedimenti sit habitura. Si autem in hac vita ad beatam illam Veritatis agnitionem comparare nos velimus, ad illud usque tempus nihil corpori indulgendum habemus aliud, quam quod quotidiana tolerandae vitae exposcit necessitas; abstinere nos oportet ab omnibus ejusdem desideriis et voluptatibus; atque nos, quotiescumque possibile fuerit, in contemplando exercere; donec visum fuerit Altissimo in beatificam illam nos adoptare libertatem. Tum enimvero sperare poterimus, nos a corporis nostri deliramentis liberatos in ipsam Veritatis scaturiginem, fontemque Sapientiae, Ens nimirum illud altissimum, perfectissimumque puris sanctisque sensibus intuituros; dum forsitan alios quoque penes nos ejusdem illius beatitudinis consortes sumus conspecturi. — Hos, dilecte

lede mi Simmia! hos possunt veri illi Veritatis amatores inter se miscere sermones; atque hanc ipsam eosdem etiam fovere animo sententiam oportet, crediderim. Aut forsitan aliter videtur tibi?

Non aliter mihi euidem, amate Socrates!

Si hoc autem ita se habet, prout diximus, chare mi! annon is, qui me hodie sequitur, spe duci potest optima, illic, quo perventuri sumus, perfectius, quam uspiam alibi, se obtenturum illud, pro quo in vita praesenti adeo heroice luctatus erat?

Potest certe!

Ego igitur meam hodie spe fretus optima possum inire peregrinationem, alterque Veritatis amator quisunque juxta mecum? si videlicet expendat penitus, ipsi citra purificationem et praeparationem liberum ad ipsa usque Sapientiae penetralia nullatenus concessum iri accessum,

Hoc

Hoc quidem nemo ullus negaverit,
reponebat Simmias.

Purificatio autem haec nihil aliud est, quam Anima ab omni sensualitate separatio, constansque exercitium proprias de essentia et attributis ipsius Animae contemplationes instituendi; quin eas tale quidpiam, quod Anima non est, interturbare queat. Verbo: Conatus ille, tam in hac, quam in futura vita Animam a corporis vinculis redimendi, ut semetipsam citra obicem contemplari, atque sic ad Veritatis agnitionem valeat pervenire.

Recte loqueris!

Divulsionem Anima a corpore nuncupamus mortem.

Ita.

Veri igitur Sapientiae cultores omnem possibilem adhibent industriam, ut morti, quantum ipsis possibile est, magis

gis adpropinquent, discantque mori:
nunquid?

Ita videtur certe.

Annon itaque summe absurdum foret, si homo aliquis, qui per omne vitae suae tempus nihil aliud didicit, quam artem moriendi, si inquam homo ejusmodi suprema illa hora, qua mortem sibi adpropinquare cernit, locum daret tristiae? annon hoc ipsum summe foret ridiculum?

Foret enimvero quam maxime.

Ergo, mi Simmia! veris Philosophis nunquam debet mors esse formidabilis, sed nunquam non exspectatissima. Consortium corporis cunctis quibusque occasionibus molestum est ipsis: nam si genuinum suae existentiae scopum assequi desiderant, adlaborandum illis est, ut Animalia a corpore separent, eandemque quasi in semetipsam conglomerent. Mors est separatio ista, est exoptata diu a sua cum corpore societate redemtio. Quanta igitur

tur absurditas, ea adpropinquante metu
concuti, afficique moerore! Plenos po-
tius solatio, plenos laetitiae eo nos pro-
perare oportet, ubi nobis spes adfulget
certissima, Dilectam nostram, Sapientiam
puto, complestendi, atque exoso illo,
qui nobis in hac vita tantas facebat mo-
lestias, socio nosmetipso liberandi! Quid?
simplices rudesque homines, quibus mors
heras, uxores, aut proles eripuit, in
moeroris sui excessu nihil exoptant arden-
tius, quam inanem hanc sibi, sterilemque
terrae superficiem relinquere, atque ad
amoris, aut voluptatis suae objecatum
quantocuyus descendere: hi autem, quos
spes indubitata manet, Dilectam suam
nuspian in tanto splendore contemplandi,
quam in vita illa futura, hi anguntur?
hi contremiscunt? hi non potius exul-
tantes suam ineunt peregrinationem? Ni-
hil, mi chare! nihil absurdius unquam
concipi potest, quam Philosophus, qui
mortem timet.

Per Jovem! exclamabat Simmias,
egregie dictum!

Tremere et angi, dum mortis instat hora, annon pro infallibili haberi potest signo, quod non Sapientiam, sed corpus, vel divitias, vel honores, vel denique cuncta haec simul in vita quaesierimus?

Pro infallibili sane!

Cui competit magis Virtus illa, quam Fortitudinem dicimus, cui inquam magis, quam Philosopho?

Nulli profecto, quem scirem, magis.

Quid autem Temperantia? virtus nimirum illa, quae in exacta affectus suos refraenandi, atque singulas actiones suas pie ac modeste exercendi promptitudine consistit, annon in eo prae caeteris quaerenda erit, qui corpus non curat suum, sed in sola Philosophia vivit et est?

Necessario, reponebat Simmias.

Omnium reliquorum hominum Fortitudo et Temperantia absurdita tibi, atque Iudi-

Iudicra videbitur, modo eam penitus consideres.

Quid ita? mi Socrates!

Noveris tu, reponebat, quod plerique hominum mortem pro valde magno habeant malo.

Novi certe!

Si ergo illi sic dicti generosi ac fortis Viri mortem imperterriti obeunt, id ipsum nonnisi majoris cujusdam mali metu agunt.

Hoc equidem facile crediderim!

Generosi igitur omnes illi, excepto Philosopho, solum ex metu fiunt impavidi. Annon absurdum autem illud reputas, ex solo metu non esse timidum?

Hoc ego certe nihil absurdius reperio.

Cum Temperantia eadem prorsus ratione apud illos se res habet. Ex intem-

E 3 peran-

perantia vivunt temperanter et modeste. Quod quidem vix quisquam fieri posse credat, cum tamen in insipienti hac temperantia haud secus actum noverimus. Abstinent illi quidem a nonnullis voluptatibus, ut aliis, quibus ardentius inhiant, tanto queant indulgere licentius. Dominantur illis, ut hisce valeant ancillari. — Interroga illos; et respondebunt illi tibi quidem, intemperantiam esse, semet cupiditatum suarum submittere jugo; verum illi ipsi non aliter adepti sunt in certas quasdam cupiditates suas dominium, quam per servitutem hisce multo nequioribus praestitam. Annon autem hoc ipsum aliqua ratione dici potest, ex intemperantia esse temperantem?

Quantum quidem videtur, potest certe!

O mi chare Simmia! Voluptatem cum voluptate, dolorem cum dolore, metum cum metu commutare, non secus, quam in monetis usuvenit, pro uno magno frusto multa minora recipere; haec equidem non est recta ad veram Virtutem via!

Unica

Unica illa moneta, quae verum valorem continet, et pro qua omnes alias citra ullam tergiversationem cedere nos oportet, est Sapientia. Hac una cæterae omnes comparantur Virtutes: Fortitudo, Temperantia, Justitia. In Sapientia generaliter continetur Virtus vera, verum in cupiditates, in aversationes, in passiones dominium: absque Sapientia autem obtinetur nihil, quam passionum erga puram putam Virtutis umbram permutatio, quae sceleri infima quaeque praestare cogitur servitia; nec quidquam in se Sanitatis complectitur, aut Veritatis. Vera Virtus est morum sanctificatio, et purificatio cordium, non autem cupiditatum commutatio. Justitia, Temperantia, Fortitudo, Prudentia, non sunt reciprocae scelerum cum sceleribus permutationes. Praedecessores nostri, qui Teletas, sive perfectae expiationis festa instituebant, videntur sapientes admodum fuisse Viri; per haec enim aenigmata significatum volebant, eum, qui citra expiationem, sanctificationemque suam superiorem hunc mundum deserit, dirissimas quasque manere poenas; purificatum autem, expiatumque

post mortem suam inter Deos fore recipiendum. Quorum muneris est, circa haec expiationis mysteria rem sacram peragere, in proverbio dicunt: *Multi sunt Thyrfigeri, sed pauci illuminati:* et mea quidem sententia per illuminatos non nisi eos significatos volunt, qui verae semet Sapientiae totos devoverunt. Ego per omnem vitam meam nihil neglexeram, sed continuo in id solum incumbebam, ut unus ex illuminatis istis efficerer. An mei hac in parte conatus fuerint irriti, aut vero quantos in hoc proposito meo progressus fecerim, ibi demum, quo perventurus sum, quam luculentissime perspiciam; et quidem, si Deo ita visum fuerit, post breve tempus! —

Atque haec ipsa est defensio mea, *Cebes et Simmia!* cur ego optimos quosque amicos meos citra moerorem ullum isthic terrarum relinquam, et instante licet jamjam mortis hora tam parum contremiscam. Credo ego, meliores illic amicos, vitamque meliorem abs me repertum iri, quam isthic deseram; quam

quam hoc ipsum vix ullam apud vulgus
fidem sit reperturum.

Si nunc isthaec peroratio mea magis
mihi ex voto cesserit, quam illa, quae
coram Urbis nostrae judicibus per me
prolata est, plene mihi, perfecteque sa-
tisfactum existimabo.

Hisce suum clausit sermonem verbis
Socrates; tum autem in haec verba solu-
tus est *Cebes*: Verum est, mi *Socrates*!
perfecto tu temet defenderas; illud ta-
men, quod de *Anima* asserebas, multis
videri debet incredibile: communis enim
est illorum opinio, *Animam* nuspam exi-
stere, simul atque suo excesserit corpore;
et potius resolvi eam, atque adnihilari
putant, ubiprimum corpus mortuum
esse perhibetur. Ad hacc: elevari eam,
velut halitum; atque de corpore in su-
periorem aëris regionem adtolli, tenuissi-
mi ad instar vaporis; ibique demum re-
solvi pedetentim, ac cessare tandem ipsam
etiam ejusdem existentiam. Siquidem
demonstrari per unum mortalium aliquem
posset, quod *Anima* se ipsa valeat subsi-

stere, neque cum corpore hoc conjunctam eam esse oporteat; tum enim vero spes illa, quam tu tibimet facis plurimam, non mediocrem sane obtineret probabilitatem: si enim post mortem nostram res nostrae meliori futurae sunt loco, unusquisque, cuius animo Virtus insidet, non inanem eodem fovere spem poterit, futurum, ut ipsum quoque illustria quae-dam illic praestolentur praemia. At vero ipsa possibilitas perquam est conceptu ardua, quod Anima post mortem cognoscere adhuc, adhuc velle, adhuc denique intelligendi vi praedita esse valeat. Hoc igitur, mi Socrates! hoc aliquam adhuc exposit demonstrationem.

Rectum habes, mi Cebes! reposuit Socrates. Verum quid factio opus est? an forsitan expendere volumus, utrum aliqua reperiiri queat, an non queat demonstratio?

Ingens profecto me tenet desiderium, ajebat Cebes, tuam hac de re percipiendi opinionem.

Ille

Ille ad minimum, reponebat *Socrates*, qui nostros sermones audiret, etiamsi Comicorum esset aliquis, non posset objicere mihi, quod phantasmatibus occuper, quae nec momenti continent in se quidquam, nec utilitatis etiam. Argumentum hoc, in cuius modo veritatem inquirimus, tanti profe^{cto} est momenti, tantaque utilitatis, ut Poëtarum quilibet ipse lubens concessurus sit nobis, ut Dei cuspiam ante imploremus auxilium, quam tanto nos operi accingamus. — Haec praefatus conticuit *Socrates*, perque intervallum aliquod sublatis in coelos sedebat oculis; tum vero sic eos allocutus est: Verum cur ista? Amici mei! Veritatem puro corde quaerere, dignissima est unici illius Numinis adoratio, quod nobis suum in hoc opere praestare potest auxilium. Ad rem igitur!

Mors, o *Cebes*! est naturalis aliqua humanae constitutionis permutatio; inquirendum igitur nobis est, quid in ipsa hac permutatione tam cum corpore, quam cum Anima hominis peragatur; nunquid?

Ita

Ita sane !

Annon autem illud magis e re nostra futurum existimatis, si primum in genere perscrutemur, quid reapse sit naturalis aliqua permutatio, et quomodo Natura permutationes suas non modo respectu hominis, sed animalium, plantarum, aliarumque vita carentium rerum respectu soleat perficere ? nisi fallor, hac certe ratione scopo nostro proprius accessuri sumus.

Non videtur infelix esse isthaec cogitatio, ajebat Cebes: prae caeteris igitur definitio nobis quaerenda est aliqua, quid reapse intellectum velimus *Permutationis* vocabulo.

Ego sic existimo, inquiebat *Socrates*: tunc nos dicere, rem aliquam permutari, dum inter duas sibi oppositas determinationes, quarum utraque illi competere potest, alterutra esse definit, atque altera suum reapse sumit exordium; e. g. pulchrum et turpe, justum et injustum, bonum et malum, dies et nox, dormire et

et vigilare; annon sunt determinationes istae sibi invicem oppositae, quae tamen in una eademque re, diverso scilicet tempore, prorsus sunt possibles?

Sunt certe!

Dum Rosa aliqua marcescit, pulchramque suam perdit rubedinem; annon dicere tunc solemus, eam fuisse permutatam?

Dicimus profecto!

Et si *injustus* aliquis vitae suae rationem permutare proponit; non oportebit eum aliam amplecti, priori oppositam, et *justum* effici?

Qui secus?

E converso etiam: si cum permutatione aliqua oriri debet quidpiam; annon prius aliquid huic oppositum existere oportebat? Sic *dies* oritur, postquam *nox* praecesserat; et *nox* vicissim incipit, ubi prius *dies* aderat. Res aliqua pulchra

chra fit, magna, gravis, pretiosa, quae antea turpis, parva, levis, vilisque fuerat; nunquid?

Ita non raro usquevenit!

In genere igitur nihil aliud significat *Permutatio*, quam oppositarum determinationum, quae cuiquam enti possunt contingere, mutatio. An satis nobis facturam putatis definitionem istam? — *Cebes* non videtur mihi illa usquequaque esse contentus. —

Exiguum aliquid, mi *Socrates*! vox nimirum illa: *sibi invicem oppositum*, quendam adhuc mihi movet scrupulum. Credorem ego, res e diametro sibi invicem oppositas non posse immediate sibi invicem subsequi.

Non male! reponebat *Socrates*. Videlimus quippe Naturam in cunctis permutationibus suis intermedium aliquem nosse reperire statum, qui ipsi quasi pro transitu deservit, quo mediante ad statum alium, priori oppositum, valeat pertinere.

gere. Nox e. g. sequitur diem, mediante crepusculo; prout dies noctem, mediante diluculo; nunquid?

Certe.

Magnum fit in *Natura parvum*, mediante continuo decremento; *Parvum* autem efficitur *magnum*, mediante continuo incremento.

Et hoc quoque certum!

Verum, etiamsi in certis quibusdam casibus transitum hunc proprio suo nequeamus insignire nomine; non potest dubitari tamen, eum reapse praesentem existere, si status aliquis cum alio sibi opposito *naturaliter* debeat permutari: annon enim necessum est, ut quaelibet permutatio, si eam *naturaliter* evenire oporteat, per vires in ipsa rerum natura positas producatur?

Quomodo enim secus dici posset *naturalis*?

Pri-

Primitivae autem vires istae continuo sunt activae, continuo vivae: si enim vel momento quiescerent, nihil eas, praeter ipsam Omnipotentiam, ad novam excitare posset activitatem. An autem illud, quod sola nonnisi efficere potest Omnipotentia, naturale dicturi sumus?

Minime illud quidem! ajebat Cebes.

Quod igitur vires naturales nunc producunt, mi Cebes! in eo perficiendo jam a longo inde tempore adlaboraverant; nunquam enim fuere otiosae, sed actiones earum nonnisi pedetentim, et quod dicimus sensim sine sensu, redditae sunt visibles. E. g. Vis illa Naturae, quae diurna permutat tempora, jam nunc in eo laborat, ut post certi temporis effluxum noctem in horizontem nostrum inducat; sumit illa tamen sibi viam per meridiem et occidentem, qui transitus illi sunt a nativitate diei ad mortem ejusdem usque. — In ipso jam somno laborent vires vitales ad sequentes vigilias adducendas, quemadmodum cras jam in ipso

ipso vigiliarum statu somnum sequentem
sunt praeparaturae.

Hoc equidem negari nequit!

Et generatim, ut status aliquis ad statum alium sibi oppositum naturaliter sequatur, prout in cunctis permutationibus naturalibus usuvenit, jam in antecessum Vires Naturae, nunquam non activae, in permutatione illa operari debebant; atque statum praecedentem quodammodo impregnare sequenti. An non manifeste vel ex hoc inferre possumus, Naturam nullum statum intermedium posse negligere, si statum aliquem cum priori sibi opposito velit permutare?

Citra controversiam!

Amice! velim, nunc potius ad ea, quae abs me postulata sunt, advertas animum; ne forte dubium tibi tandem oriri queat, annon in principio facilis admodum fueris in concedendo. Tria sunt in qualibet permutatione naturali requisita: status aliquis praecedens rei illius, quae

TOM. II.

F

per-

permutanda est; alter status subsequens, qui priori illi sit oppositus; et denique transitus, sive status illi inter duos hos intermedii, qui Naturae quasi viam sternunt ab uno statu ad alterum illi oppositum transeundi. — An postulatum hoc admittitur?

Ita, ita! inclamabat Cebes: prorsus non video, quid in hac Veritate superesse dubii possit.

Sine, videamus; reponebat Socrates, an illud quoque, quod his adhuc additurus sum, perinde indubitatum videatur tibi. Ego sic existimo: *Omne permutable ne momento quidem potest impermutablem persistere; sed, cum Tempus, quin unquam quiescat, continuo progrediatur, et sequentia constanter praeteritis accumulet, simul etiam omne Permutable transfigurat, et unoquoque temporis momento sub nova specie repraesentat.* — An tu quoque ejusdem mecum es sententia? Cebes!

Sen-

Sententia haec, si non certa, saltem probabilis videtur mihi.

Mihi autem evidens etiam, atque innegabilis. Nam omne permutabile, si reale quid est, et non pura puta idea, debet vim habere quamquam aliquid agendi, et habitudinem aliquid patiënti. Jam vero sive agat, sive patiëntur, semper in eo aliquid aliud sit, quam quod fuerat antea: cumque Naturae Vires nunquam absolute quiescant, quid quaeso posset Corruptionis torrentem vel unico momento in suo retardare impetu?

Nunc mihi satisfactum video.

Illud nihil prorsus officit Veritati, quod certae quaedam res saepe per aliquod tempus impermutatae videantur; nam flamma etiam appetet esse una semper eademque, cum tamen nihil sit aliud, quam torrens quidam igneus, qui ex ardenti corpore indesinenter prorumpit, adtollitur, et pedetentim evanescit. Colores saepe apparent oculis nostris velut impermutati, et tamen continuo novi

semper novique lucis radii subsequuntur prioribus. Dum autem in Veritatem inquirimus, res nobis secundum realitatem suam, non vero secundum apparentiam sensuum sunt judicandae.

Per Jovem! reposuit Cebes, Veritas haec tam novum, quam amoenum nobis in rerum naturam aperit prospectum! — Amici mei! pergebat porro ad nos versus, doctrinae hujus ad naturam Animae nostrae applicatio summi sane momenti nobis pollicetur consequentias.

Unam adhuc praemittendam habeo propositionem, reponebat Socrates, antequam ad hanc ipsam perveniam applicationem. Permutabile, fatebamur antea, ne momento quidem potest persistere inpermutatum; sed, velut Tempus praeteritum aetate provehitur, ita etiam reciproce sibi invicem illa permutationum praeteritarum series crescit. Jam velim, ipse expendas, Cebes! sequunturne momenta Temporis se invicem continuata, an interrupta serie?

Non

Non affequor, inquiebat *Cebes*, quid
hisce dictum velis.

Exempla tibi mentem meam magis
reddent perspicuam. Superficies leniter
fluentis aquae videtur nobis fluxu conti-
nuo promanare; et unaquaeque aquae
particula cum iis, quibus circumdatur,
communes habere limites; cum tamen
arenae cumulus ex innumeris constet gra-
nulis, quorum unumquodque proprios
suos habet limites; nunquid?

Hoc mihi facile videtur conceptu.

Si vocem *Cebes* pronunciem, annon
in ea duae distinctae syllabae sibi invicem
subsequuntur, inter quas nulla tertia re-
peritur?

Certe!

Vox *Cebes* igitur non in continuo
progreditur, sed syllabae, e quibus vide-
licet vox haec coalescit, sequuntur se in-
vicem nexus interrupto, et utraque pro-
prios suos habet limites.

F 3

Et

Et hoc quoque certum!

At vero in idea illa , quam Spiritus
meus cum voce hac conjungit? an etiam
isthac partes reperire est aliquas, quae
proprios suos habent limites?

Mihi videtur, non!

Et recte illud; nam omnes partes et
notae cujusdam ideae compositae ita in
unum confluunt, ut nulli queant deter-
minari limites, ubi haec desinat, illave
incipiat; simul igitur sumtae unum conti-
nuum Totum efficiunt.

Hoc est perfecte clarum.

Quaero igitur de Tempore: an Tem-
pus cum pronunciata voce, aut cum vocis
idea comparandum est? sequunturne mo-
menta temporis se invicem continuo, aut
interrupto ordine?

Continuo, reposuit Cebes.

Citra

Citra dubium , addebat Simmias ;
 nam per idearum nostrarum continuum
 agnoscimus Tempus utique ; qui igitur
 posset fieri , ut natura Continui in Tem-
 pore non sit eadem cum Continuo idea-
 rum nostrarum ?

Partes igitur Temporis , pergebat
Socrates , in Continuo progrediuntur , et
 communes inter se habent limites ?

Ita !

Minima quaevis Temporis particula
 est ejusmodi continuatio momentorum ;
 potest in partes adhuc minores dividi ,
 quarum adhuc singulæ Temporis pro-
 prietas retinent ; itane ?

Ita videtur.

Neque ergo dantur etiam duo ejus-
 modi momenta , quae sibi invicem sint
 proxima , id est , inter quae non posset
 tertium aliquod concipi ?

Hoc ex concessis sequitur.

—

Annon autem Motus omnes, et in genere omnes Permutationes in Natura, eodem cum Tempore procedunt passu?

Eodem sane!

Sequuntur itaque, prout Tempus, se invicem continuo quodam nexus?

Continuo certe!

Neque igitur duos reperire fuerit status, qui sibi invicem essent proximi; id est, inter quos non possit esse tertius adhuc aliquis reperibilis!

Ita saltem videtur.

Verum quidem est, nostris ita vide-ri sensibus, quasi permutationes rerum interrupto fierent ordine, cum easdem non observent, nisi post notabilia quaedam intervalla temporum: at vero Natura nihilominus sua progreditur via, et res omnes nonnisi pedetentim permutat, idque in continua quadam ad se invicem sequela. Minima hujus sequelae pars, ipsa

ipsa etiam nova est sequela permutacionum; at quantumcunque demum arcto etiam nexus copulatos ponamus duos quoscunque status, semper tamen transitus intercedit aliquis, qui eos sibi connectit invicem; quiique Naturae viam pandit quodammodo, qua e statu uno transire possit ad alium,

Totum hoc clare admodum concipio, ajebat Cebes.

Amici mei! inclamabat Socrates: nunc tandem tempus illud adest, quo scopo nostro proprius jam accedamus. Jam argumenta collegimus, quae pro aeternitate nostra pugnare debeant; et ego certam mihi polliceor victoriam. An non autem, pro more Belliducum, priusquam in arenam descendamus, potentiam nostram semel adhuc revidere juvabit, ut fortitudinem aut debilitatem nostram tanto luculentius discamus perspicere?

Apollodorus brevem sibi adhuc repetitionem ardenter efflagitabat.

Tum Socrates: Propositiones, quārum certitudo jam nequit per nos revocari in dubium, sunt istae:

1.) Ad quamvis Permutationem naturalem tria requiruntur: *imo* Status rei cuiusdam permutabilis, qui cessare, *2do* alter, qui ejus locum tenere debet, et *3tio* status intermedii, sive transitus, per quem Permutatio non repente, sed pedentim peragatur.

2.) Quod permutable est, ne momento quidem existere potest, quin reapse permutetur.

3.) Fluxus temporis progreditur in continuum; neque dantur duo temporis momenta, quae sibi invicem essent proxima.

4.) Fluxus permutationum perfecte convenit cum fluxu temporis, et perinde continuus, perinde sibi invicem innexus est, ut nulli determinari queant status, qui sibi invicem essent proximi, aut inter quos non haberet locum transitus aliquis.

quis. Annon in haec puncta omnes con-
fessimus?

Ita; dicebat Cebes.

Vita et Mors, mi chare Cebes! sunt
status sibi oppositi, nonne?

Sunt certe!

Et Mori transitus est e vita ad mor-
tem , nunquid?

Etiam !

Magna haec permutatio, ut opinor,
tam animam concernit, quam corpus;
nam utrumque strictissimo in vita copula-
tum fuit nexus?

Quantum videtur, certe!

Quod post hanc summi momenti
actionem evenit, observationes nos doce-
re possunt; extensem enim sensibus no-
stris praefens remanet: verum quomodo,
ubi, et quid post hanc vitam futurum
sit

fit Anima, sola Ratione determinari oportet; Anima quippe post mortem medium illud amisit, quo humanis porro quoque praesens persistat sensibus.

Recte id loqueris!

Annon primum, mi charissime! id, quod Visibile est, per omnes suas permutationes persequemur, et sic dein, quantum quidem valemus, Invisibile cum Visibili comparabimus?

Optima haec videtur esse via, quam inire possumus; reposuit Cebes.

In quolibet corpore animali, mi Cebes! continuo resolutiones et compositiones peraguntur, quae partim ad conservationem, partim autem ad interitum machinae animalis tendunt. Mors et Vita jam sub ipso animalis in hanc vitam ingressu colluctari incipiunt.

Id, quod omnes quotidiana experientia docemur!

Quo

Quo nos statum illum nuncupamus nomine, quaerebat *Socrates*, in quo omnes permutationes, quae in machina vivente eveniunt, magis ad conservationem, quam ad interitum corporis tendunt? an non nobis *Valetudo*, *Sanitas* que dicitur?

Hoc nobis passim compellatur nomine.

Contra autem permutationes animales, quae magnae hujus machinae resolutionem causant, per infirmitates promoventur, vel etiam per senectutem; qui status Infirmitas naturalissima dici potest.

Potest sane!

Corruptio pedetentim per gradus inobservabiles capit incrementum. Tandem corruit aedificium, atque in suas partes minimas se se resolvit. Quid autem tunc evenit? an partes illae cessant permutari? an desinunt agere et pati? an totae quantae pereunt.

Hoc

Hoc non videtur mihi, reposuit
Cebes.

Impossibile, mi dilectissime! inquietabat *Socrates*; impossibile hoc fuerit, si vera sunt, in quae cuncti prius consensimus: daturne enim medium aliquod inter *esse* et *non esse*?

Nullum; quantum ego quidem existimo.

Esse et *non esse* forent igitur idmodi duo status, qui immediate sibi invicem subsequi, atque sibi invicem proximi esse deberent: at vero vidimus antea, Naturam nullas ejusmodi permutationes, quas repente et absque transitu fieri oporteat, producere posse. Annon tibi propositio ista reddit in memoriam?

Teneo illam quam optime, ajebat
Cebes.

Non potest igitur Natura aut existentiam aliquam, aut adnihilationem peragere?

Non

Non potest !

Inde fit, ut in resolutione corporis animalis nihil possit interire penitus. Partes resolutae pergunt porro quoque, esse, agere, pati, componi, et resolvi, donec se per infinitos transitus in partes alterius cujusdam compositi transmutent: quaedam fiunt pulvis, quaedam humor; haec adtollitur in aëra, illa transit in plantam; de planta migrat in quoddam vivens animal, et paulo post deserit iterum animal, vermiculo cuiquam pro nutrimento servitura. Annon hoc ipsum experientiae nostrae conforme?

Perfekte, mi Socrates! reponebant una Cebes ac Simmias.

Videmus igitur, Amici mei! Mortem et Vitam, quantum quidem corpus concernunt, in Natura non ita esse a se invicem separata, prout sensibus nostris videntur. Membra sunt continuae cujusdam permutationum seriei, quae per gradatim progredientes transitus sibi invicem arctissimo sane nexu sunt copulata. Non datur

datur momentum ejusmodi, quo, proprio strictissimoque sensu, dici posset: *Nunc moritur animal*; prout nunquam etiam in sensu strictissimo dici potest: *Nunc factum est infirmum*, aut: *nunc iterum convalluit*. Verum quidem est, quod hujusmodi permutationes sensibus nostris quasi separatae videantur, cum a nobis non prius, quam post certum quoddam intervallum temporis observari queant: at vero satis nobis est scivisse, eas reapse non posse esse separatas.

Redit mihi nunc in memoriam exemplum aliquod, quod hoc ipsum aliquanto nobis luculentius est redditurum. Oculi nostri, certo quodam terrae tractu circumscripti, quam distinctissime norunt discernere Auroram, Meridiem, Vesperam, Noctemque medianam; et videtur nobis etiam, quasi singula haec temporum puncta ab aliis diversa atque separata essent. Verum is, qui universum terrae nostrae ambitum penitus considerat, distincte admodum perspicit, has dierum noctiumque vicissitudines et revolutiones continuo sibi invicem innexas esse fluxu;

et

et unumquodque momentum temporis simul semelque Auroram et Vesperam, Meridiem et Noctem medium nuncupari posse.

HOMERUS, nonnisi qua Poëta, si-
bi sumebat licentiam, deorum suorum
actiones secundum certa diei tempora di-
videndi: quasi vero alicui, qui angusto
hoc terrarum ambitu non constringitur,
diei tempora adhuc reapse distinctae, se-
parataeque essent epochae; et non potius
unoquoque tempore tam mane foret,
quam vespera. Licet quidem Poëtis fa-
bulam pro veritate assumere; nihilomi-
nus tamen secundum ipsam rei veritatem
Aurora constanter necessum haberet por-
tas coeli roseis suis apertas tenere digitis,
flavumque paludamentum suum indefi-
nenter ab uno polo circumferre in alium;
non secus, ac ipsos etiam deos, si noctis
solum tempore somno indulgere vellent,
aut nunquam, aut continuo dormire
oporteret. —

Sic etiam dies hebdomadum, qua
totum aliquod considerati, nequeunt di-
TOM. II. G Scerni

scerni ab invicem ; nam Continuum , et a se reciproce dependens nonnisi in imaginatione nostra , atque secundum sensuum nostrorum representationem in determinatas ac diversas partes se sinit segregari . Ratio autem novit quam optimè , illuc nullatenus esse subsistendum , ubi nulla divisio naturalis locum habet . — An hoc perspicuum vobis est ? Amici mei !

Admodum ; reposuit Simmias .

Eadem quoque est in plantis ac animalibus Vitae Mortisque ratio . Secundum cursum permutationum , quas res una cademque est perpetua , e sensuum nostrorum sententia , ibi nova incipit epocha , ubi nobis res illa reaperte qua planta , aut qua animal sub sensu cadit : atque hoc ipsum appellamus progerminationem plantae , et nativitatem animalis . Alterum temporis punctum ibi , ubi animalis aut plantae motus nostris semet subtrahunt sensibus , nuncupamus mortem . Et tertium denique , si tandem animalis aut plantae formae evanescunt , et invisibilis

biles fiunt, dicimus *interitum vel corruptionem* animalis aut plantae. In Natura autem omnes hae permutationes totidem sunt membra non interruptae catenae, continuatae evolutiones et involutiones unius ejusdemque rei, quae se in formas innumeratas involvit et evolvit. — An in his aliquid adhuc dubii vobis est reliquum?

Ne minimum quidem; respondit
Cebes.

Tum vero Socrates: dum dicimus,
Anima moritur, unum e duobus supponendum habemus; vel, quod omnes ipsius vires ac facultates, actiones et passiones instantanee desinant, ipsaque uno quasi oculi i^tcu evanescat: vel, quod patiatur, velut Corpus, continuas transmutationes, innumeratasque transvestitiones, que in continuata quadam serie progrediuntur; atque in hac serie detur ejusmodi epo-cha, qua non jam humana Anima, sed aliud facta est quidpiam; quemadmodum Corpus post innumeratas permutationes cessat esse Corpus humanum, et in pul-

G 2 verem,

verem, aërem, plantam, aut etiam in partes alterius cuiuspiam animalis transformatur, — An datur tertius aliquis casus, aut modus, quo mori possit Anima? an inquam casus alter adhuc aliquis, quam repente, aut pedetentim?

Nullum equidem valeo concipere; reponebat Cebes. Haec partitio omnem exhauit possibilitatem.

Bene! ajebat Socrates. Qui igitur adhuc dubitant, an Anima nequiret esse mortalis, alterutrum, per me licet, elegant; utrum illis curae sit, ne forte repente evanescat ipsorum Anima, aut vero, ne sensim sine sensu desinat esse id, quod fuerat antea. Annon tibi, Cebes! placuerit illorum interim supplere vices, et electionem hanc in te ipsum assumere?

Quaestio est nunc, an illi electionem Actoris sui ratam essent habituri? Ego potius id darem consilii, ut in partem utramque disputemus; nam si electionem meam respuerent, suamque a mea diversam pronunciarent sententiam, fieri facile

facile poffet, ut die craftino nullus jam
supereffet, qui ipſis pro virili reponeret.

Mi chare Cebes ! respondebat *Socrates*; longe lateque patens est Graecorum Imperium; atque inter Barbaros quoque reperiri oportet multos, quibus cordi fit ejusmodi perveſtigatio. — Verum esto ! fine, utrumque casum paulo attentius persequamur. Primum erat: *Forſitan perit Anima repente, et evanescit quaſi in iectu oculi.* In et per se isthaec mortis ratio nullam involvit impossibilitatem. An autem per Naturam produci eam tamen posse putemus ?

Minime profecto ; si verum illud est,
quod concesſeramus antea ; Naturam vi-
delicet nullam posſe peragere adnihila-
tionem.

Annon vero id ipsum jure optimo
concessimus ? quaerebat *Socrates*. Inter
effe et non effe horribilis intercedit hiatus,
qui per pedetentim agentem rerum natu-
ram nequit transiliri.

Rectissime! reponebat Cebes. Quid autem? quid si per potentiam aliquam supernaturalem, per Deitatem aliquam, adnihilaretur?

O mi charissime! exclamabat *Socrates*; quam fortunate, quam benigne prouisum est nobis, si nihil, praeter immediatam unici Mirabilium Patratoris manum, pertimescendum habemus! Quod nos sollicitos tenebat, illud unum erat, an natura Animae nostrae non sit in et per se ipsam mortalis; atque hanc solum sollicitudinem quaerimus nos per argumenta reddere irritam. An autem Deus, summe benignus ille Creator, et Conservator omnium eam per miraculum aliquod adnihilaturus sit? — Non, mi Cebes! — fine, metuamus potius, ne sol prius vertatur in glaciem, quam ut ab illa per se ipsam existente Bonitate actionem aliquam reapse malam, adnihilationem per miraculum, pertimescamus.

Hoc equidem non bene adverteram, ajebat Cebes, quod objectio mea quidpiam blasphemiae contineat!

Illa

Illa igitur, quam primo loco posuimus, mortis ratio, *subitanea admibilatio*, nihil nobis jam terroris incutit; pergebat porro *Socrates*: est enim Naturae perfectu impossibilis. Verum in illud quoque, velim, advertatis animum, Amici! Ponamus non fore impossibilem; tum quaestio est: quando? quo tempore oportet nostram evanescere Animam? Sine dubio tunc, dum corpus illius non jam indiget, ipso videlicet mortis momento?

Sic videtur.

Jam vero vidimus antea, nullum determinatum dari momentum, quo dici possit: *nunc moritur animal*. Resolutio machinae animalis jam dudum antea suum sumserat initium, quam effectus ejusdem sub sensus caderent: nunquam enim desunt ejusmodi motus animales, qui conservationi Totius essent contrarii. Illud solum verum est, quod pedetentim incrementantur, donec omnes motus partium non jam in unum scopum conspirent, sed unusquisque eorum proprium suum suscipiat scopum; et tunc demum resolu-

ta est machina. Hoc igitur fit pedetentim, ordine quodam tam continuo, ut quilibet status communis praecedentis et subsequentis status limes, effectus quidam praecedentis, et causa quaedam subsequentis status nuncupari queat. Annon id ipsum concesseramus antea?

Ita sane,

Si ergo Mors Corporis etiam Mors Animae esse deberet; tunc nec idmodi quodpiam dari potest momentum, quo dici queat: *nunc evanescit Anima*; sed pedetentim, veluti motus in partibus machinae cessant in unum eundemque collimare scopum, Animam quoque viribus atque activitate sua intrinseca destitui oportebit. An tibi hoc aliter evenire videtur? Cebes!

Prorsus ita!

At vide, quam miram pervestigatio nostra sumferit mutationem! non secus, ac artificiosa illa proavi mei Daedali machina,

china, per internas quasdam trochleas e priori suo loco videtur esse transvoluta.

Quid ita?

Supposuimus nos, adversarios nostros de eo fore sollicitos, quod Anima subito esset adnihilanda; atque id perquirere voluimus, an metus iste fundamento quodam nitatur, an non. Illud quoque pervestigavimus, quoniam illa momento adnihilari posset; et haec ipsa pervestigatio nostra ad suppositi nostri oppositum nos perduxerat, quod videlicet non sit subito adnihilanda, sed pedetentim internis suis viribus, atque actitvitate intrinseca destituenda.

Tanto melius! reposuit Cebes. Adeoque praesupposita illa opinio quasi semetipsam refutavit.

Illud igitur unum adhuc perquirendum habemus, an intrinsecæ vires Animæ nequeant etiam pedetentim deficere, quemadmodum nempe fese partes machinae resolvunt. — Sinite, persequamur in

G 5 pere-

peregrinatione sua fideles istos viae socios, *Corpus et Animam*; quibus mortem quoque inter se communem esse supponitur; visuri postmodum, ubi tandem postrema illorum futura sit permancio. Quamdiu *Corpus* sanum beneque valens est; quamdiu plerique machinae motus ad conservationem et firmitatem Totius conspirant; atque sensationum quoque organa debitam suam retinent constitutionem; tamdiu *Anima* etiam exacta vi-
rium suarum plenitudine gaudet, sentit, cogitat, amat, odit, percipit, et vult, nunquid?

Citra controversiam.

Corpus fit infirmum. Manifesta inter motus, qui in machina peraguntur, sese prodit distensio; cum eorum multi non jam in conservationem Totius concordent, sed diversos prorsus, sibique invicem repugnantes habeant scopos. Quid tum *Anima*?

Quantum quidem experientia doce-
mur, ipsa interim debilior redditur, sen-
tit

tit inordinatus, non recte cogitat, atque saepenumero ipsa suis operatur ingratiis.

Bene! finite, progrediar. Corpus moritur: id est, omnes motus videntur modo non jam ad vitam, totiusque conservationem tendere; sed intrinsece possunt tamen nonnulli adhuc motus vitales procedere, qui obscuras adhuc aliquas queant procurare representationes. Ad hasce igitur eo usque semet restringere debedit Vis Animae, nunquid?

Omnino!

Sequitur Corruptio. Partes, quae hucusque communem inter se habuere scopum, quaeque unam nonnisi effecere machinam, jam longe a se invicem diversos obtinent scopos, fiuntque variae diversarum prorsus machinarum partes. Quid tum Anima? Cebes! quo eam nunc relicturi sumus loco? Machina ipsius corrupta est. Partes, quae ex eadem adhuc supersunt, jam non sunt suae, neque unum Totum efficiunt, quod animari posset.

Nulla

Nulla jam hic membra sensuum, nulla sensationium organa, quibus mediantibus ipsa unquam ad sensationem aliquam valeret pertingere. An autem haec omnia in ipsa sint inertia? an sensationes et cogitationes, imaginationes, desideria, aversationes, inclinationes, et passiones ipsius evanuerint, neque ulla prorsus post se reliquerint vestigia?

Impossibile; ajebat Cebes. Quid enim hoc esset aliud, quam adnihilatio perfecta? adnihilatio autem, prout vidimus, non est posita in potestate Naturae.

Quid igitur capiendum est consilii? Amici mei! nequit unquam per omnem aeternitatem interire Anima; supremus quippe passus, in quantamcunque demum ipsum extendamus distantiam, ab existentia ad nihilum semper adhuc ejusmodi foret saltus, qui neque in essentia entis cuiuspiam particularis, neque etiam in toto hujus Universi nexu potest esse fundatus. Perseveratura est itaque, aeternumque perstitura. Ut autem persistat, et agere debet, et pati; ut vero agat et patia-

patiatur; ideas eam habere oportet; nam sentire, cogitare, et velle unicae sunt actiones et passiones, quae enti cogitanti possunt competere. Ideae siam semper sumunt originem a corporea aliqua sensatione; unde autem corporeae sensations proveniant, si nulla membra, nulla sensuum praesto sunt organa?

Nihil videtur certius, dicebat Cebes, quam isthaec consequentiarum illatio; et tamen viam sternit ad manifestam aliquam contradictionem.

Alterutrum; pergebat porro *Socrates*: aut adnihilari debet Anima, aut post corporis quoque corruptionem sibi adhuc formare ideas. Pronum est admodum, utrumque horum casuum pro impossibili reputare, et tamen alterutrum illorum reapse necessum est existere. Videamus, an nullum ex hac labyrintho repere valeamus exitum! Una ex parte non potest naturali ratione adnihilari noster Spiritus. Cui fundamento innititur haec impossibilitas? — Maësti estote animis, Amici! atque per spinosas me sequimi-

quimini vias: perducunt illae nos ad amoenissimas quasque, quae unquam hum-
manum delectare poterant animum, peri-
pherias! — Respondete mihi! annon di-
stincta virium, naturalisque permutatio-
nis idea ad illam nos perduxit consequen-
tiam, quod Natura nullam perficere va-
leat adnihilationem?

Certe!

Hac igitur ex parte absolute nullus
nobis patet exitus; revertendum est no-
bis itaque. Anima nequit interire, de-
betque perseverare post mortem, agere,
pati, habere ideas. Hic nobis viam
praescindit impossibilitas illa, quod Spir-
itus noster sine corporeis impressionibus
ideas formare nequeat: verum quis se
pro hac impossibilitate vadet interponit?
Annon pura puta experientia nostra est,
quod in hac vita nunquam absque corpo-
reis impressionibus cogitare valeamus?

Nihil praeter experientiam sane!

Quod-

Quodnam autem argumentum habemus, cur experientiam istam ultra ipsos etiam vitae humanae limites extendamus, atque Naturae potestatem illam absolute abjudicemus, vi cuius etiam extra resolutum hocce corpus cogitare sinat Animam? — Quae tibi Opinio? Simmia! annon summe ridiculum existimaremus ejusmodi hominem, qui e muris atheniensibus nunquam pedem etulisset, et tamen e propria inferre vellet experientia, in omnibus universi terrarum orbis regionibus diem ac noctem, aestatem ac hysmem, non secus, quam Athenis, reciproce permutari?

Nihil foret absurdius.

Si Foetus in utero matris cogitare posset, an illi persuasurus esset quisquam, ipsum aliquando, postquam suis fuerit solutus radicibus, in libero aëre recreante illa solis luce fruiturum? annon potius e praesenti suo statu ejusmodi status futuri impossibilitatem rite inferre se posse, sibi persuasum haberet?

Ita

Ita videtur certe.

Et nos amentes! nosne, dum hoc adhuc vitae nostrae detinemur carcere, e propria nostra decidere volumus experientia, qui Naturae etiam post hanc vitam adhuc sit possibile? — Vel unicus in exhaustibilem illam universae Naturae varietatem obtutus manifestum nobis suppeditare potest argumentum, omni prorsus ejusmodi consequentias nostras carere fundamento. — Quam inops, quam invincibilis esset Natura, si Vis ac potestas ejus non foret amplior, extensaque magis, quam experientia nostra!

Jure igitur optimo, cumque ratione sufficienti isthanc rejicere possumus experientiam; cum eidem absolutam illam opponere valeamus impossibilitatem, ut Spiritus noster unquam intereat. — HOMERUS Heroëm suum haud temere haec proloqui verba sinit: Profeſio! etiam in orci domibus agit adhuc Anima, tametsi nullum ad eas cadaver descendat. * Ideæ illæ

* PLATO hunc Homeri versum alio longe
confu

illae, quas nobis Homerus de orco, iisque umbris, quae in eum descendunt, format, videntur quidem non omni ex parte Veritati esse conformes; at vero, Dilecti mei! illud semper indubitatum manet: Spiritus noster triumphat adversus mortem et corruptionem, cadaver autem isthic relinquit, ut in his terris in mille permutatis formis intentiones Altissimi adimpleat: Ipsa vero fese supra omnem pulverem elevat, tenditque porro, secundum alias *naturales* quidem, sed tamen *supraterraneas* et sublimiores leges, opera Creatoris contemplari, atque fovere cogitationes de Viribus Infiniti. Expendite hoc; Amici mei! Si Anima nostra post mortem sui cadaveris vivit adhuc, si adhuc cogitat; annon etiam perinde, ac in hoc statu praesentí, ad Felicitatem est adspiratura?

Pro-

fensi acceperat, quam nonnulli recentiorum ejusdem interpretum; et in IIItio suae *Reipublicae* Libro reprehensione dignum existimat. Spero, mihi citra cujusquam offendam indultum iri, ut mitiorem hujus loci interpretationem ratam haberi velim.

Probabile hoc videtur mihi, respon-
dit Simmias; verum non fido jam opinio-
ni meae, sed tuam potius exoptarem sen-
tentiam.

Mea argumenta haec sunt, reposuit
Socrates: Si Anima cogitat, in ipsa con-
tinuo ideas cum ideis permutari oportet;
debetque alias libenter, alias illibenter
habere ideas velle: id est, debet *velle*.
Si autem voluntatem habet, quonam ten-
dat voluntas ista, si non ad altissimum
Bonii sui gradum, ad Felicitatem?

Hoc omnibus clarum videbatur.
Sed quomodo? progrediebatur *Socrates*:
quomodo Bonum cuiusdam Spiritus, qui
nullam jam pro vitae suae necessitatibus
curam gerere debet? quanam in re constat
Bonum istud? Cibus et Potus,
Amor et Voluptas nequeunt jam illum
afficere; quod in hac vita Sensum, Palau-
tum, Oculos, Auresque delestat, hic
jam ejus animadversione indignum fuerit
utique; vix ut levis aliqua, et haec ipsa
forsitan dolorosa satis eidem super sit vo-
luptatum recordatio, quibus in corporis
sui

sui consortio quondam fruebatur. An ille post hanc vitam his inhiare poterit adhuc?

Tam parum certe, quam Vir quis-
cunque consummatus suae pueritiae cre-
pundiis, respondebat Simmias.

An ei forsitan opum affluentia in vo-
tis erit?

Qui hoc quoque fieri posset in statu
ejusmodi, in quo nulla, quantum qui-
dem videtur, proprietatis, nulla opum
fruitio locum est habitura?

Honoris quidem appetentia videtur
esse passio ejusmodi, quae egresso quoque
e corpore Spiritui supermanere adhuc
posset; nam haec ipsa passio parum ad-
modum videtur a necessitatibus corporis
dependere: verum qua in re posset cor-
poris expers Spiritus praecellentiam il-
lam reponere, quae illi honorem, atque
existimationem conferat? Certe non in
Potentia, non in opibus, neque in clari-

H 2 tate

tate generis; cum omnes has ineptias
cum corpore suo in terris relinquit.

Non aliter certe!

Nihil igitur ei manet reliquum,
quod ipsi quandam supra caeteras creatu-
ras sibi socias conferre posset emin-
tiam, quam Sapientia, quam Virtutis
amor, quam Veritatis agnitus. Praeter
nobilem hanc honoris appetentiam spiri-
tuales quoque voluptates illae, quibus
Anima jam in terris absque suo etiam
corpore fruitur, videlicet Pulchritudo,
Ordo, Symmetria, Perseveratio, Spiritum
nostrum afficiunt. Affectiones porro istae
adeo sunt naturae cuiusvis Spiritus inna-
tae, ut nunquam eum valeant deserere.
Qui igitur in terris Animae suae curam
gerit, qui per hanc vitam in Sapientia,
Virtute, veraeque Pulchritudinis affectio-
nibus se exerceat, ei spes adfulget ma-
xima, quod post mortem quoque in his
exercitationibus sit progressurus, atque
de gradu ad gradum magis semper ma-
gisque accessurus sublimissimo illi omnium
entium Principio, quod Fons et Origo
Sapien-

Sapientiae, Summa Perfectionum omnium,
 atque in gradu eminentissimo ipsa est Pul-
 chritudo. Revocate vobis in memoriam,
 Amici mei! extatica illa temporum mo-
 menta, quibus fruebamini, quotiescum-
 que Anima vestra, per spiritualem ali-
 quam Pulchritudinem sibi erepta, Corpo-
 ris cum omnibus necessitatibus suis oblita
 est, atque fese, quanta quanta erat, coe-
 lestibus affectionibus totam reliquerat.
 Quis horror! quae interna illuminatio!
 Nihil praeter propiorem aliquam Divini-
 tatem sublimissimas hasce valet in nobis
 excitare extases! Et vero etiam quaeli-
 bet spiritualis cujuspiam pulchritudinis
 idea reapse obtutus aliquis est in ipsam
 Divinitatis essentiam; nam Pulchrum,
 Ordinatum, et Perfectum, quod animad-
 vertimus, nonnisi typus quidam dici po-
 test illius, qui Pulchritudo, Ordo, Per-
 fectio per se existens est! — Probe me-
 mini, id ipsum me alia jam occasione ex-
 posuisse distinete satis; atque impraesen-
 tiarum nonnisi hanc inferre volo conse-
 quentiam: Si verum est, quod post hanc
 vitam Sapientia et Virtus ambitionem
 nostram, et spiritualis Pulchritudinis,

Ordinis, Perfectionisque desiderium cupiditates nostras efficiant; tum perennatura existentia nostra nihil aliud esse poterit, quam continua, neque ullis temporum limitibus interrupta Divinitatis intuitio; coelestis nimirum idmodi voluptas, quae, quam parum nunc nobis est conceptibilis, tam certe nobilem illum Virtutis amantium sudorem infinita remuneratur usura. Quid sunt omnes hujus vitae calamitates in comparatione talis aeternitatis! Quid est Paupertas, Contemptus, morsque atrocissima, si nosmet ipsos per ea ad tantam Felicitatem praeparare valeamus! O Amici mei! Qui sibi conscius est de exaeta ad omnem Virtutis normam peregrinatione sua, is nulla prorsus ratione poterit moerore affici, dum ad Beatitudinem istam iter suum ingreditur. Ille solum, qui in vita sua Deos hominesque offenderat, qui in brutali voluptate semet voluntaverat, qui deificato honori humanas victimas litaverat, qui in aliena calamitate suas delicias reposuerat; ille, inquam, in limine mortis habiturus est, cur contremiscat; cum nullum in tem-

pus

pus praeteritum citra poenitudinem,
nullumque in tempus futurum citra hor-
rorem figere queat obtutum. Ego au-
tem, aeternae sint Immortali Deo gra-
tiae! qui nullas ejusmodi iniquitates mi-
himet objiciendas habeo, qui per omne
vitae meae tempus in Veritatem arden-
ter inquirebam, atque Virtutem super
omnia amore prosecutus sum maximo;
gestio nunc vocem audire Divinitatis,
quae me isthinc evocat, ad perfruendum
lumine illo, ad quod in his adhuc ver-
satus tenebris anhelabam. Vos autem,
Amici mei! expendite attentius argu-
menta felicis exspectationis meae; et, si
vobis luculenta sunt, peregrinationi
meae benedicte! sique vivite imposte-
rum, ut Mors quondam vos evocet,
non cum violentia terris eripiat! Forsi-
tan Divinitas aliquando, clarificata jam
amicitia nostra, in mutuos nos invicem
feret amplexus. — O! quanta nos tunc
voluptate affectura est hodiernae lucis
recordatio!

DIALOGUS II.

Magister noster suo finem sermoni imposuerat, atque cubile suis immersus cogitationibus lento pede perambulabat. Nos sedebamus omnes, altumque tacuimus, attento, quae dicta fuere, revolventes animo. Cebes unus, ac Simmias alternis nescio quid insufurrabant auri- bus. Ad quos conversus Socrates, quid, inquiebat, quid, Amici mei! tam taciturni vos confertis ad invicem? annon nobis quoque scire liceat, quid in prolatis haec tenus emendari ratiociniis oporteat? non sum ego meae adeo tenax sententiae, ut ad perfectam eorundum evidentiam varia desiderari adhuc non ipse perspiciam. Siquidem de rebus aliis sermo vester est, sit per me porro quoque; at vero si illud sermonis vestri argumentum est, quod nostri fuerat, rogatos vos, nobis etiam vestra proponatis dubia et objections, velim; ut unitis ea periclitari viribus, atque vel tollere illa penitus, vel ipsi quoque

quoque juxta vobiscum dubitare valeamus.

Ad haec Simmias: Fateri me oportet tibi, mi Socrates! utriusque nostrum quae-dam superesse dubia; dudumque jam nos invicem compellimus, ut tibi eadem proponamus: cum ambo lubenter refutatio-nem eorum ex te audire desideremus. Verum uterque metuimus, ne in molestis hisce circumstantiis tuis tibi graves acci-damus.

Quum haec audiret *Socrates*, subri-dendo reposuit: Hem! quam mihi diffi-cile fuerit, o *Simmia!* aliis id persuadere hominibus, quod meas non adeo graves existimem esse molestias; cum nec vos adhuc id ipsum vobis persuasum habere queatis, semperque vos sollicitudo teneat, ne abjecto magis reddar animo, quam un-quam fuerim antea. Dicuntur Cygni, dum morti accedunt proprius, cantare, quam per vitam reliquam, suavius. Si aves istae, prout perhibetur, deo sacrae sunt Apollini, tum non temere forsitan dixero, Deum eas prope mortis horam

quaepiam felicitatis vitae futurae sibi
praelibare gaudia; sicque ipsas hujus jam
solatii compotes delectari antea, sonum-
que edere suaviorem. Haud secus mihi
quoque accidit. Ego sacerdos sum Apol-
linis; et reapse is ipse animo meo im-
presserat futurae post mortem beatitudi-
nis praesagium, quod omne dispergit tae-
dium, meque in ipso vitae limine ala-
criorem reddit, quam, dum viverem,
fuerim unquam. Aperite mihi mentis ve-
stra dubia, et citra tergiversationem ob-
jectiones vestras proponite. Quaerite ex
me, quod quaerendum habetis, dum ad-
huc per undecim Viros licet. —

Bene! reposuit Simmias, ego igitur
exordiar; *Cebes* autem continuet, si lu-
bet. Verumtamen habeo, quae praemittam,
aliqua. Si adversus immortalitatem
Animae dubia moveam, non illa ipsam
hujus opinionis veritatem concernunt,
sed solum rationabilem ejusdem demon-
strationem, vel potius modum ipsum,
quem tu, mi *Socrates!* elegeras, nos de
illa argumentis e sola sana ratione petitis
convincendi. Caeterum toto pectore com-
ple-

pletar salutarem hanc doctrinam, non modo, prout tu illam nobis proposueras, sed quemadmodum eam veterimi quique Sapientum posteritati mandavere; demtis quibusdam adulterationibus, quas Poëtae, fabularumque scriptores addiderant. Ubi Spiritus noster nullum certitudinis argumentum reperit, ibi consolatricibus fese concredit opinionibus; veluti navibus in alto mari constitutis usuvenit, quae coelo sereno, velisque secundis per hujus vitae fluctus nos feliciter praetervehunt. Sentio ego, me huic de immortalitate, et futura post mortem nostram retributione doctrinae non posse contradicere, quin infinitas videam suapte exoriri difficultates, atque omne id, quod unquam bonum verumque esse reputaveram, probabilitate sua esse privatum. Si Anima nostra mortalis est, Ratio nostra somnium est a Jove nobis immissum, ut miseros nos ludificet: deestque Virtuti splendor omnis, qui eam oculis nostris qua divinam exhibet; atque Pulchrum illud et sublime, Morale proinde ac Physicum nulla jam est divinarum perfectionum imago; quia nihil transitorium vel debitissi-

lissimum divinae perfectionis radium valet recipere; sed veluti pecus sumus isthuc collocati, ut pabulum quaeramus, et — moriamur! paucosque post dies perinde futurum est, an ornamento, an contra dedecori fuerim creationi; an conatus sim felicium, an infelici augere numerum; tum denique vel abjectissimus quisunque mortalium potentiam habiturus est, sese divino subtrahendi dominio, et mucro par erit resolvendo illi vinculo, quo Homo quilibet Deo obstringitur. Si Spiritus noster transitorius est, tum sapientissimi quique Legislatores, atque humanarum societatum Fundatores vel nobis, vel sibimet ipsis imposuerant: tum universum genus humanum unanimi quasi consensu consilium iniverat, continuo figmentum aliquod fovendi, atque deceptores illos venerandi, qui illud proculderant: tum status liberorum et cogitantium entium nihilo plus est, quam grex aliquis pecorum ratione carentium: et Homo denique — exhorresco illum in tanta videre abjectione! — — suavissima illa immortalitatis suae spe frustrata admiranda ista Creatura, miserrimum est in his

his terris animal, quod pro summa infelicitate sua continuo hujus status sui miniffe, horrere morte in, et in desperationem agi demum oportet! Non Deus ille summe benignus, qui suarum creaturarum beatitudine laetatur, sed ens quodpiam alieni interitus desiderio aestuans debuisset hominem tantis ornare praerogativis, quae eum tanto magis redderent commiseratione dignum! Nescio quis absument animum meum angor occupat, dum me in statum miserorum illorum colloco, qui adnihilationem suam metuunt. Amara mortis memoria emnes ipsorum delicias reddat acerbas, est necesse. Dum amicitia perfrui, dum Veritatem cognoscere, dum Virtutem exequi, dum Creatorem venerari, dum super Pulchritudine et Perfectione in extasin rapi gestiunt; horrenda illa adnihilationis recordatio spectri instar in animo ipsorum exsurgit, et sperata gaudia in desperationem convertit. Unicus, qui emanet, respiracionis anhelitus; unicus, qui subsistit, arteriae pulsus, omnibus his ipsos privat Magnificentii. Ens Deum venerans fit pulvis, putredo, et corruptio! Gratias

ago diis immortalibus, quod me hoc me-
tu liberaverint, qui cunetas vitae meae
voluptates veluti totidem scorpionum i&ti-
bus interrupturus esset. Meae de Divi-
nitate, de Virtute, de dignitate huma-
na, et de relatione illa, quaे inter Deum
et Hominem intercedit, ideae nullum de
ejus destinatione relinquit in animo meo
dubitacioni locum. Spes vitae cujusdam
futurae omnes has resolvit difficultates,
atque veritates illas, de quibus multipli-
ci jam ratione convicti sumus, in suam
iterum reducit harmoniam. Ipsa justificat
Divinitatem, restituit suam Virtuti no-
bilitatem, impertit suum Pulchritudini
splendorem, suas Voluptati illecebras,
dulces reddit calamitates, ipsasque vitae
hujus adversitates oculis nostris reddit
venerabiles: omnes enim hujus mundi
eventus cum infinitis illis sequelarum se-
riebus comparamus, quae ab ipsis sumunt
originem. Doctrina ejusmodi, quae cum
tam multis jam notis et certis veritatibus
cohaeret, firmissimamque constituit har-
moniam, et per quam citra ullam coactio-
nem non mediocrem difficultatum vim
sublatam videmus, promptos nos, para-
tosque

tosque invenit ad ipsam amplectendam,
neque ulteriori opus habet demonstratio-
ne. Nam, licet ex omnibus iis argumen-
tis, singillatim sumtis, ne unum quidem
supremum certitudinis gradum attingat,
simul tamen sumta cum adeo triumphanti
nos convincunt violentia, ut plenam ani-
mis nostris pacem ac tranquillitatem im-
pertiant, cunctaque dubia nostra suis, si
ita loqui fas est, Castris excutiant. Ve-
rum, dilecte mi Socrates! in eo omnis
difficultatis cardo vertitur, ut omnia illa
argumenta, quocunque loco, occasione,
ac tempore volumus, debita cum vivaci-
tate praesentia etiam, praestoque habe-
mus ad eorundem harmoniam cum evi-
dentiā perspiciendam. Nullo non tempo-
re, nulla non circumstantia, hujusque
vitae vicissitudine eorum auxilio opus ha-
bemus; verum non omne tempus, non
circumstantia omnis, non denique omnis
vitae hujus vicissitudo tranquillitatem il-
lam, illamque attentionem animo indul-
gent, ut argumentorum horum vivaciter
meminerimus, vimque omnem penetre-
mus Veritatis illius, quae eorum nexui
ac harmoniae reapse est intertexta. Quo-
ties-

tiescunque aliquam eorundem partem aut prorsus non, aut non ea, qua oporteret, vivacitate nobis proponimus, Veritas illico de robore quidpiam perdit suo, animique nostri in periculo versatur tranquillitas. Si autem via illa, quam tu, o Socrates! inieras, per simplicem inconcussum argumentorum seriem ad Veritatem nos ducit, spem capere possumus, fore ut de certitudine securi reddamur, omnique tempore eandem in potestate nostra habeamus. Distinctarum consequentiarum catena facilius in memoriam reducitur, quam illa Veritatum harmonia, quae certa quadam ratione propriam sibi animi constitutionem exposcit. Hac de causa non vereor tibi omnia illa opponere dubia, quae absolutissimus quisque Immortalitatis impugnator valet proferre in medium. Siquidem mentem tuam recte assecuratus sum, sequenti circiter ratione tuum formabas argumentum: Anima et Corpus strictissimo junguntur nexu: hoc pedetentim in suas partes resolvitur; illam vero aut adnihilari oportet penitus, aut perceptiones porro quoque retinere suas. Viribus naturalibus nihil potest adnihilarum;

ri; ergo Anima nostra, modo naturali, nunquam poterit cessare, suaque habere ideas. Quid autem, mi chare *Socrates*! quid si pari argumentandi ratione evincam, Harmoniam porro quoque persistere oportere, etiamsi Lyra frangatur; aut aedificii cujusdam symmetriam tum quoque permansuram, cum omnes lapides a se invicem divulsi, inque pulverem comminuti fuerint? Harmonia perinde, ac Symmetria, dicerem, sunt aliquid, nunc quid? Non credo, id ipsum mihi a quam negatum iri. Illa cum Lyra, haec autem cum aedificio arcto sane jungitur nexu. Hoc quoque mihi concessum oportet. Comparete jam Lyram, aut aedificium cum Corpore; Harmoniam vero, aut Symmetriam cum Anima: tum manifestum fecimus, ut sonorum suavitas diutius, quam ipsae chordae; ut symmetria in longius tempus, quam ipsum aedificium, persistant, necessum fore. Jam autem ratione Harmoniae atque Symmetriæ manifesta patet absurditas: cum enim hae ipsae modum ac rationem nexus indicent, nequeunt utique perdurare diutius, quam ipse nexus persistenter.

TOM. II. I Simile

Simile quid etiam de Sanitate asseri potest. Est illa proprietas Corporis articulati, membris instructi; neque est eam reperire uspiam, quam ubi actiones horum articulorum et membrorum ad conservationem Totius tendunt: est illa proprietas, sive proprietarium quid *Compositi*; et evanescit, si Compositum in suas partes resolvitur. Verosimiliter etiam pari ratione cum Vita se res habet. Vita plantae cujuspam cessat, simul ac motus in partibus ejusdem ad resolutionem Totius tendunt. Animal per sensuum organa, et sensationem planta nobilis quid esse reputatur; et Homo denique prae illis Rationis quoque gaudet praerogativa. Forsitan ista animalium sensatio, atque ipsa etiam Hominis Ratio nihil aliud sunt, quam proprietates Compositi; non secus ac Vita, Sanitas, Harmonia, etc., quae vi naturae ac constitutionis suae nequeunt persistere diutius, quam Compositiones illae, a quibus sunt inseparabiles. Profecto, si ars plantis et animalibus vitam et sanitatem praestando par est, sublimior quoque ars aliqua forsitan Animali sensationem, atque Homini

Ra-

Rationem impetriri poterit. Certe ignorantia nostra tam parum primum illud, quam postremum istud novit assequi. Vel vilissimae plantulae compages artificiosa omnem supergreditur intellectum huma-
num, continetque mysteria, quae indu-
striam atque sagacitatem serae quantumvis
posteritatis nostrae semper adhuc sunt lu-
sura: et tamen nosne dictare sententiam
volumus, quid per organizationem impe-
trari, quidve non queat? Nosne Omni-
potentiae aut Sapientiae Creatoris metas
ponere volumus? Alterum, credo certe,
nos oportere, si tenuitas nostra velit de-
cidere, quod ipsa etiam Omnipotentis
ars nequeat per subtilissimae Materiae
conformatiōnem sentiendi ac cogitandi
producere facultatem.

Vides tu, mi chare Socrates! quid
discipulis tuis ad inconcussae evidentiae
plenitudinem desit. Si Anima in vivendo
idmodi reale quid est, quod Omnipotens
extra Corpus, ejusdemque conformatio-
nem creaverat, illique conjunxerat; tum
citra controversiam illud quoque fuerit,
ut Anima etiam post mortem existere,

suasque habere perceptiones continuet.
Verum quis se pro eo vadet interponit?
Experientia videtur potius docere con-
trarium. Facultas cogitandi formatur cum
corpo, crescit cum eodem, patiturque
haud dissimiles cum eo vicissitudines,
modificationes. Unamquamque infirmita-
tem corporis comitatur debilitas, distur-
batio, sive impotentia Animae. Praepri-
mis actiones cerebri, et intestinorum tan-
tum cum activitate Facultatis cogitandi
habent nexus, ut perquam primum sit,
utrasque ex eodem repetere principio,
adeoque Invisibile per Visibile explicare:
quemadmodum Lux et Calor uni eidem-
que causae adscribuntur, quia in suis
modificationibus adeo manifeste concor-
dant.

Tacuit post haec Simmias; Cebes au-
tem interruptum ab eodem hisce prosecutus
est sermonem: Amicus noster Simmias,
inquietabat, nonnisi illud, quod ipsi pro-
missum est, tuto possidere velle videtur:
ego autem, dilecte mi Socrates! amplius
quid desidero, quam quod tu nobis ad-
promiseras. Etiam si argumenta tua ad-

ver-

versum omnes difficultates fuerint muni-
ta, nihilo tamen plus ex iisdem conse-
quitur, quam quod Anima nostra post
corporis nostri obitum persistat, suaque
habeat perceptiones. Verum qua ratio-
ne persistet? forsitan, quemadmodum in
vertigine, in animi deliquio, in somnio
persistit? Anima dormientis non careat
omni prorsus idea, objecta circumposita
debilioribus impressionibus in sensus a-
gant, et in Anima debiles saltem sensa-
tiones excitent, est necesse: secus quip-
pe fortiores atque fortiores impressiones
non essent pares eundem e somniis susci-
tando. *) Verum cujusmodi sunt ideae
illae? Obscura quaedam sensatio citra
conscientiam, citra recordationem; sta-
tus quidam rationis expers, in quo nec
status praeteriti meminimus, nec hujus
in statu futuro recordaturi unquam su-
mus. Jam autem, si Anima nostra per-

I 3

suum

*) Si potentes impressiones vivaces sensatio-
nes excitant; tum certe debilissimae quo-
que non possunt absque omni omnino esse
effectu, sed debent sensationes ejusmodi
producere, quae non nisi gradu vivacitatis ab
illis differunt.

suum a Corpore divertium in aliquam somnii aut parturitionis speciem linqui, nec expurgisci unquam supponatur; quid tum, quaeſo, per ipsius perdurationem lucrati essemus? Existentia rationis ex-pers ab ea, quam tu speras, immortalitate multo adhuc magis remota est, quam brutorum felicitas distet a beatitudine spiritus Deum agnoscētis. Si illud, quod ipſe postea accidet, nos tangere, et jam in hac vita spem aut metum in nobis excitare debet; tum enimvero ipſosmet nos, qui nostrae iſthic concſii ſumus exiſtentiae, in illa quoque vita hanc conſcientiam noſtrām retinere, ſtatusque praefentis reminiſci poſſe oportebit. Neceſſum erit, ut id, quod futuri ſumus, cum eo, quod nunc ſumus, comparare, et judicium de eo ferre valeamus. Imo etiam, ſi te rite intellexi, mi Socrates! aleris tu ſpe melioris post mortem vitæ; polliceris tu tibi majorem Intellectus illuminationem, et nobiliores ac ſublimiores cordis motus, quam quibus fortunatissimus quicunque mortalium his in terris perfrui queat. Quo argumento nititur ſpei hujus ſuavicolatio? Defectus omnis
claræ

clarae ac distinctae conscientiae est pro Anima nostra, saltem per breve aliquod tempus, status quidam non omni prorsus ex parte impossibilis; quod ipsum nos quotidiana docet experientia. Quid? si status ejusmodi post mortem per omnem posthac aeternitatem esset duraturus?

Manifestum tu nobis quidem antea feceras, quod omne Permutabile continuo, sine intermissione, permutari oporteat: qua ex sententia clarior aliquis spei radius emicat, quod sollicitudo mea prorsus inanis, omnique destituta sit fundamento. Si enim series permutationum, quae Animam nostram manent, in infinitum progreditur, tum verosimillimum est, quod non sit determinata ad id, ut per omnem aeternitatem unquam dehiscat, et de divina Pulchritudine sua plus semper, semperque plus amittat; sed potius, ut sese, saltem cum tempore, relevare, eumque iterum occupare gradum queat, in quo jam ipso Creationis suae instanti fuerat collocata: videlicet, ut esset contemplatrix Operum Dei. Et vero nec

opus est alio, quam Verosimilitudinis altiori gradu, ad id, ut in ea firmemur opinione, quod hominem Virtutis amantem vita melior sit mansura. Interea tamen et istud quoque punctum abs te, mi Socrates! tractatum videre desidero; probe quippe novi, singula, quae hodie profaris, verba intimis cordis mei fibris impressum, neque ulla unquam temporum vicissitudine e memoria mea deletum iri.

Attento omnes isthaec audiebamus animo, et, prout postmodum nobis confessi sumus invicem, non sine indignatione, quod nobis ejusmodi sententia dubia atque incerta sit redditia, de qua nos adeo luculenter convictos fuisse prius autubamus. Non haec saltem sententia, sed quidquid sciveramus et credideramus antea, tunc incertum et dubium fieri videbatur nobis, dum palam intuebamur nos aut non esse praeditos Veritatem ab errore dignoscendi dono, aut eam ipsam, se ipsa, ab eodem non posse discerni.

Eche-

Echebrates.

Prorsus non miror, mi chare *Phaedon!* quod haec mentem vestram subierit cogitatio; ipsus ego hujus mentis esse cooperam, dum te haec referentem audi-rem. *Socratis* argumenta mihi plene sat-isfecerant, certusque videbar mihi, quod nunquam illa sim revocaturus in dubium: verum difficultas, quam movit *Simmias*, ancipitem mihi iterum reddit animum, probeque memini, me ejusdem antea fuisse opinionis; quod nimirum vis cogi-tandi proprietas esset Compositi, suam-que basin in subtili quadam organizatio-ne, sive partium harmonia habere possit. Verum dic mihi, chare *Phaedon!* qua fronte *Socrates* hasce difficultates exce-pe-rat? an ille perinde, ac vos, commotus erat animo? aut potius mansueta quadam, pro more suo, ratiocinandi methodo iis-dem reposuit? an responsum ejus satis vobis, an non fecerat? Cupidus pro-fecto sum ex te illa, qua fieri potest, ex-aclitudine intelligendi omnia,

Phaedon.

Si unquam admiratus sum Socratem, dilecte mi Echecrates! tum id hac certe occasione factum oportuit. — Apta quod illico praesto ipsi fuerit responsio, nihil quidquam praeter expectationem meam fuerat. Quod admiratione mihi dignum visum est, erat praeprimis, benignitas, amicabilitas, et mansuetudo illa, quo juvenum horum hominum argutiolas suscepserat; tum vero, quam subito adverterit, quantas hae difficultates in animos nostros impressiones fecerint; quomodo ille nobis auxilio esse properaverit, quaque ille nos ratione e fuga nostra revo- caverit, ad defensionem nostram nos exerit, atque ipse viam nobis in arenam descendantibus praeiverit.

Echecrates.

Qui isthoc accidit?

Phaedon.

Id ipsum tibi nunc referre proposui.
Ego dextrae ejus assederam pone lectum,
hu-

humili super sella; ipse autem aliquanto,
quam ego, altius. Tum prehenso leniter
capite meo capillos demulcebat mihi,
qui per humeros soluti fluebant: pro mo-
re nempe suo, quo nonnunquam cinnis
meis colludebat. Cras, inquiebat, cras,
mi *Phaedon!* cinnos hosce tuos forsitan su-
per Amici cujuspam tui tumulum spar-
sus fueris. Quantum quidem videtur,
reponebam ego. At ille: O! cave, id
feceris. Quidni? quaerebam ego. Ho-
die adhuc, pergebat ille, uterque no-
strum crines nostros succidamus, oportue-
rit; si pulchram hanc doctrinam nostram
emori contingat, neque pares simus ei-
dem iterum suscitandae. Siquidem ego
tuo positus essem loco, et mihi quis tan-
tam evertisset doctrinam, tum certe,
quemadmodum Argivus ille, votum vo-
verem, non meos antea crescere sinendi
capillos, quam *Simmiae ac Cebetis* ratioci-
niis palmam extorsssem. Ad haec ego:
dicimus in adagiis, *Ne Hercules quidem*
contra duos! Tum ille: voca igitur, quo-
niam dies adhuc est, me Jolaum tuum in
auxilium. Reête! ajebam ego, Te ego
in auxilium vocabo meum; verum non
eo,

eo, quo Hercules Jolaum vocavit, modo; sed quo Jolaus Herculem. Parum id refert, inquiebat ille. Prae caeteris autem a certo quodam errore caveamus nobis, est necesse. A quo? quaerebam ego. Ne forte *Rationis osores* *) fiamus, ajebat; prout certi quidam homines *Hominum osores* **) fiunt. Majus isto nequit nobis obvenire infortunium! — *Rationis odium* et *Hominum odium* pari ratione solent exoriri. *Hominum odium* videlicet communiter inde sumit initium, si in principio nostrae conversationis coecam quandam fiduciam in aliquo reponimus; eumque cunctis in rebus pro fideli, candido, ac integro Viro reputamus; postmodum autem experiri cogimur, ipsum nec aperti nec recti cordis fuisse Virum: cumprimis autem, si id ipsum repetitis vicibus, quin eorum etiam respectu nobis accidat, quos pro optimis et familia-
rissimis Amicis nostris habebamus. Tum enimvero taedio afficimur, atque adver-
sum

*) Misologi. } Ita Plato in Phaedone,
**) Misanthropi. } nro. 55.

sum omnes omnino, sine distinctione, homines odium concipimus, nec ulli unquam vel levissima in re fidem habemus. An tu nondum observaveras, id ipsum usuvenire? — Quamplurimum; reponebam ego. An autem non existimas, hoc ipsum summe esse propudiosum? annon hoc idem est, ac si quis citra vel levissimam humanae naturae cognitionem de societate tamen humana usum fructum capere vellet? Profecto nisi quis omni prorsus ratiocinandi destitutus sit facultate, facili negotio medium hac in re reperturus est viam, quae reapse etiam Veritatem praemonstrat. Hominum perfecte bonorum, aut absolute malorum non sunt, nisi paucissimi. Plurimi medium tenent inter utrumque limitem. — Qui tu hoc intellectum velis? quaerebam ego. — Non aliter sane, inquietabat ille, quam respectu Maximorum & Minimorum, aut reliquarum etiam Proprietatum fere usuvenit. Quid rarius, quam Homo, canis, aut alia quaepiam Creatura, quae aut nimis magna, aut parva admodum; quae velox admodum, aut tarda nimis; extreme pulchra, turpis, nigra, alba

alba &c. esset? Annon autem et illud animadverteras, quod in omnibus his Extremum utriusque partis paucum & rarum, Mediocre contra frequentissimum sit in rerum natura? Ita quidem videtur mihi, respondebam. Tum ille: Putasne tu, si ad extremam malitiam, morumque perversitatem pretium poneretur, quod perpauci ex hominibus illud sibi merebentur? Probabiliter; respondebam. Quam probabilissime, reposuit ille. Verum hoc in punto inter Rationem et genus humanum dissimilitudo potius aliqua, quam similitudo quaepiam intercedit: et ego per quaestiones istas ad haec devia perductus sum. Similitudo tamen haec tunc potissimum manifesta fit, si quis citra debitam pervestigationem, citraque naturae Rationis humanae cognitionem, quamcunque consequentiam ratam habet, firmamque existimat; et paulo post pro falsa eandem iterum reputat; sive dein reapse talis sit, sive non: cumprimis autem, si hoc ipsum ita, prout antea respectu amicitiae, usuveneat. Tum perinde illi accidit, quemadmodum celeribus illis Universalistis, qui tamdiu, quidcunque demum

demum velis, norunt defendere et contradicere, quamdiu sibi persuasum habent, se sapientissimos mortalium, quin etiam se solos esse, qui animadverterint, Rationem, prout caetera quoque in rerum natura omnia, nihil certi, fixi, statutique habere; sed cuncta, velut in Eupipo, in Vortice marino, sus deque nutritare, nec ullo temporis momento in uno eodemque statu persistere. Verum hoc quidem est; ajebam. Quid autem? mi chare Phaedon! reposuit ipse: quid? si Veritas in et per se non modo certum et immutabile, sed etiam Homini non prorsus inperscrutabile quid est? ponamus ita esse; et tum finat se unus alius per ejusmodi pro et contra positorum argumentorum iudificationes, quae se invicem elidunt, eo induci, ut id ipsum non sibi, suaque inhabilitati adscribat, sed potius ex taedio ipsi Rationi imputet; omneque reliquum vitae suae tempus cuncta ratiocinia odio ac despiciunt habeat; Veritatem omnem, omnemque Cognitionem procul abs se abesse finat: an hujusmodi hominis statum non summa existimas commiseratione dignum?

Per

Per Jovem! reposui, commiseratione dignissimum. Prae caeteris igitur omnibus iste nobis est vitandus error, dareque nos oportet operam, ut plene nos persuasos reddamus de eo, quod ipsa Veritas certa sit ac inconcussa; verum Ratio ac Intellectus noster saepius debilior sit, quam ut eam firmam tenere, eique quasi praevalere queat; quo vires nostras, nostrosque conatus duplicare quodammodo, novasque semper, ac novas in illam agressiones tentare nos oporteat. — Singuli nostrum ad hoc ipsum obligamur, Amici mei! Vos quidem imminentis adhuc vitae gratia, ego autem mortis jam-jam instantis ergo. Imo vero praestomihi est hanc in rem argumentum quodpiam, quod, secundum rudium et ignororum hominum ratiocinandi methodum, magis dictatorum videri posset, quam conforme Veritati. Si idmodi homines dubium quidpiam pervestigandum habent, parum eos reddit sollicitos, quomodo res ipsa, quae in quaestionem vocatur, sit comparata; modo ipsi rectum habere videantur, atque opinio ipsorum adstantibus non improbetur. Ego ab idmodi

modi hominibus uno solum in puncto dif-
feram: ut enim circumstantes vos in
meam pertraham sententiam, non est mi-
hi, nisi per accidens, propositum. Prae-
cipuus eum solum in finem tendit labor
meus, ut me ipsum persuasum reddam,
opinionem meam Veritati esse consentia-
neam: magnum enim ex hoc capturus
sum emolumentum. Nam vide, Amico-
rum charissime! ego sic ratiocinor: Si
sententia, quam vobis propono, firmo-
nititur fundamento, recte fecero, si me
ipsum de ejus veritate plene persuasum
reddidero: si autem vita functis nihil jam
spei sit reliquum, tum illud saltem lucri
refero, quod Amicis meis ante meum e
vivis decessum querimoniis gravis non
accidam. Delector ego nonnunquam co-
gitatione hac, quod omnia, quae univer-
so, si vera forent, humano generi verum
solatium atque emolumentum adferre pos-
sent, vel ideo jam multum verosimilitu-
dinis contineant, quod reapse vera sint.
Si sceptici, dubitandi appetentes, adver-
sum doctrinam de Deo et Virtute oppo-
nant, quod nonnisi politicum quodpiam
sit inventum, pro Bono Societatis huma-

nae excogitatum; libenter ego eosdem
sic semper provocarem: O Amici mei!
excogitate systematicam aliquam ideam,
quae Societati humanae perinde absolute
necessaria est; et pacifcor, quod ea hoc
ipso etiam vera sit futura. Genus huma-
num ad socialitatem, prout unumquod-
que membrum ad felicitatem, vocatum
est. Quidquid universali, secura, ac con-
stanti ratione ad hunc finem perducere
potest, citra omnem controversiam a sa-
pientissimo rerum omnium Autore qua
medium aliquod est electum et produ-
ctum. Blandientes hac representationes
praeter modum sunt consolatoriae, exhi-
bentque nobis magnam illam inter Crea-
torem et Hominem relationem in luce
maximopere recreante. Unde nihil mihi
ita in votis est, quam de earundem ve-
ritate me ipsum plene persuasum reddere.
Verum non foret e re mea, si ignorantia
mea hisce de rebus diutius adhuc persi-
steret. Haud quidem! brevi enim eadem
liberabor! — Ita jam comparatus, Sim-
mia et Cebes! vestris obviam eo difficul-
tatibus. Amici mei! si meum vobis lubet
sequi consilium; agite, Veritatem magis

respicite, quam Socratem! Siquidem videtis, fidelem me Veritati persistere, mihi adhaerete: sin autem; opponite vosmet mihi citra ullam personae acceptationem: ne forte molli nimium benevolentia mea vobis ac mihi met ipsi imponam, atque demum velut Apis, quae defixum post se relinquit aculeum, a vobis divellar. —

Agite jam Amici mei! advertite animum, et monete me illico, si quid de argumentis vestris praeterire, aut non ad amissim resumere me contingeret. *Simmias* concedit, nostram cogitandi facultatem vel se sola creatam esse, vel per compositionem et conformatiōnem Corporis esse productam oportere; nunquid? — Certe! — In primo casu, si videlicet *Anima*, qua Ens incorporeum, se solo, si ve seorsim creatum, consideranda est, porro quoque ratam habet *Simmias* illam ratiociniorum seriem, per quam evicimus antea, quod ipsa cum corpore cessare, et absolute nequeat perire aliter, quam per nutum omnipotentem Autoris sui. An hoc conceditur adhuc, an contra est

inter vos unus forsitan aliquis, qui quid-
piam adhuc, quod opponat, reperiat? —
Ultro omnes consensimus. — Et quod
benignissimus Autor iste nullum opus ma-
nuum suarum adnihilet unquam, si recte
memini, nemo vestrum revocavit in du-
bium. — Nemo ullus. — Verum hoc
unum veretur *Simmias*: Forsitan nostra
sentiendi et cogitandi facultas non est
Ens se solo creatum, sed veluti Harmo-
nia, veluti Sanitas, aut veluti plantarum
brutorumque vita, proprietas est artifi-
ciose formati corporis: annon hoc ipsum
erat, quod te reddebat sollicitum? *Sim-
mia!* — Id ipsum, mi *Socrates*? — Vi-
deamus igitur, annon illud, quod de Ani-
ma nostra compertum habemus, et, quo-
tiescunque volumus, manifeste experiri
possumus, impossibilem reddat sollicitudi-
nem tuam. Quid sit in artificiosissima
quantumvis conformatione aut composi-
tione entium? atnon certa quaedam en-
tia proprius componuntur, quae prius a
se invicem erant remota? — Omnino!
— Erant illa prius cum aliis in nexu
quopiam, nunc autem inter se invicem
connectuntur, et efficiunt partes consti-
tu-

tutivas, sive constituentes *Totum*, quod nos *Compositum* nuncupamus. — Bene! — Per hunc partium nexum exoritur primum in ipsa ratione et modo, quibus haec partes constitutivae pone se invicem subsistunt, certus quidam ordo, qui magis vel minus perfectus est. — Certe! — Et sic Vires quoque et actvitates partium constitutivarum per compositionem magis vel minus modificantur, prout nimis per actionem et reactionem jam impediuntur, jam promoventur, jam denique in sua directione permuntantur; nunquid? — Ita videtur. — Autor ejusmodi Compositionis jam respicit solam et unicam partium pone se invicem consistentiam, e. g. in accuratione et Symmetria in Architettura, ubi nihil, quam iste pone se invicem consistentium ordo in considerationem venit; jam dirigitur intentio ejus ad permutatam partium constitutivarum actitatem, et enatam inde vim *Compositi*, prout in quibusdam trochleis et machinis. Quin reperire est etiam ejusmodi quaepiam, in quibus manifeste patet, quod Artifex suam intentionem ad utrumque, ad partium videlicet ordinem, et

earum aetivitatis modificationem direxit. — Humanus artifex, ajebat Simmias, forsitan rarius, verum Autor Naturae videtur semper et ubique intentionem suam ad perfectissima quaeque determinasse. — Egregie, reponebat Socrates; verum nolo ego huic per accidens obortae contemplationi diutius immorari. Id unum nunc ex te quaero, Simmia! potestne per Compositionem vis aliqua exoriri in Toto, quae basin suam non haberet in partium constitutivarum aetivitate? — Quid tibi videtur? mi Socrates! — Si omnes Matteriae partes, sine actione et reactione, in mortua quadam serie pone se invicem jacerent, an vel artificiosissimus aliquis earundem Ordo aut Transpositio in Toto ullum motum, reactionem, et generatim vim aliquam exerere poterit? — Non videtur mihi, reposuit Simmias; nequit enim e partibus mortuis et inertibus unum vivens agensque Totum componi. — Recte! inquiebat ille; hoc igitur pro axiomate acceptare possumus. Illud nihilominus observamus tamen, quod in Toto harmonia, et symmetria reperi queat, tametsi unaquaque pars constitutiva,

tiva, se sola considerata, nec harmoniam, nec symmetriam habeat. Qua isthoc ratione accedit? Nullus tonus singillatim sumtus est harmonicus, et tamen plures simul sumti harmoniam constituunt. Aedificium rite ordinatum potest e lapidibus esse construetum, quorum singuli nec symmetriam habent, nec regularitatem. Cur possum ego hic ex partibus non harmonicis unum harmonicum Totum, ex partibus non regularibus unum regulissimum Totum componere? — O mi chare! reponebat Simmias; disparitas haec manifesta est; Symmetria, Harmonia, Regularitas, Ordo, etc., nequeunt absque varietate concipi; denotant enim relationem diversarum impressionum, prout se nobis, simul sumtae, et in comparatione erga se invicem, exhibent. Ad hasce igitur ideas requiritur quaedam simul sumtio, quaedam variarum impressionum comparatio, quae simul unum Totum efficiunt, et ideo absolute nequeunt convenire partibus singillatim sumtis. — Perge porro, dilecte mi Simmia! exclamabat Socrates intimo quodam super Amici sui ingenio refectus solatio. Dic

nobis illud quoque: si unusquisque tonus, singillatim sumtus, nullam in auditum nostrum faceret impressionem, an e multis simul sumtis Harmonia quaedam exoriri posset? — Impossibile hoc fore existimo. — Sic quoque cum Symmetria; Unaquaeque pars debet agere in oculum, si e multis illud, quod Symmetriam dicimus, exoriri oporteat? — Necessario! — Ergo et hic manifestum fit, quod in To-to nulla oriri queat activitas, cuius origo et basis jam in partibus constitutivis non sit reperibilis; quodque caetera omnia, quae e proprietatibus elementorum et partium constitutivarum non profluunt, veluti Ordo, Symmetria, etc., solum et unice ab ipsa Compositionis ratione sint repetenda. An luculenta nobis est isthaec quoque Propositio? Amici mei! — Luculenta sane. — Duo igitur in unaquaque, quantumvis artificiosissima entium compositione nobis veniunt consideranda: Primum, Sequela et Ordo partium constitutivarum in Tempore, aut in spatio: Alterum, nexus virium principalium, sive primitivarum, modus item ac ratio, quibus illae semet in Composito

ex-

exhibent. Per ordinationem et situm partium certis quidem limitibus cohibentur, determinantur, et permutantur virium simplicium actiones; nequit tamen unquam per compositionem vis aut activitas aliqua impetrari, cuius principium non esset in partibus constitutivis quaerendum. Immoror ego hic paulisper subtilibus hisce et principalibus contemplationibus, Amici mei! veluti stadiodromus, qui diversis vicibus cursum interrumpit, ut tanto dein incitatori cursu ad praefixa pertingere metam, et, si dii immortales fortunam gloriamque ipsi destinaverant, palmam quoque referre valeat. Expende mecum, chare mi Simmia! si nostra sentiendi ac cogitandi facultas non est ens se solo creatum, sed proprietas quaedam Compositi; annon aut, veluti Harmonia et Symmetria, e certo quodam situ et ordine partium eam provenire oportebit; aut, veluti vis Compositi, originem suam in activitate partium constitutivarum habeat, erit necesse? — Citra dubium; cum, prout vidimus antea, tertium nihil cogitari queat. — Respectu Harmoniae vidimus, quod e. g. quilibet

tonus singularis nihil harmonicum habeat,
et concordantia omnis solum in reciproca
diversorum tonorum comparatione constat;
nunquid? — Ita! — Par ratio stat
etiam pro symmetria et regularitate cuius-
piam aedificii: consistit illa in composi-
tione et comparatione multarum singularium
irregularium partium. — Hoc quoque
negari nequit. — Verum reciproca haec
comparatio estne aliud quidpiam, quam
ipsa actio Facultatis cogitandi? et estne
in universa rerum natura eandem reperi-
re in ente alio, quam in Cogitante? —
Simmias, quid ad haec reponeret, non
habebat. — In Natura non cogitante,
pergebat *Socrates*, meri toni singulares,
meri lapides singulares consequuntur sibi
et pone se invicem. Ubi hic Harmonia,
Symmetria, Regularitas? Si nullum Ens
cogitans accedat, quod diversimodas par-
tes combinet, inter se comparet, atque
in hac comparatione quandam concordan-
tiam observet, tum ego nullibi easdem
reperire valeo: aut forsitan tu, mi chare
Simmia! nosti in Natura inanimata vesti-
gium earum perquirere? — Fateor tibi
impotentiam meam, respondit *Simmias*,
ut ut

ut ut observeam, quo haec tua tendat
quaestio. — Bonum omnem! exclamabat
Socrates, dum Adversarius ipse suam sibi
praefagit de opinione sua desistendi ne-
cessitatem. Responde mihi nihilominus,
Amice mi! sed citra taedium; nam tibi
quoque non mediocrem illius victoriae,
quam de te sumere speramus, partem
habebimus referendam. Dic igitur: Po-
testne cujusdam rei causa e propriis ip-
siusmet effectibus desumi? Potestne Um-
bra, quam arbor projicit, pro causa hanc
arborem generante, sive pro causa effi-
ciente hujus arboris haberi? aut odoris
fragrantia pro causa Floris hunc ipsum
odorem spargentis assignari? — Nulla
hoc equidem ratione. — Ordo, Symme-
tria, Harmonia, Regularitas, et omnes
generatim relationes, quae compositionem
et comparationem varietatis exposcunt,
actiones sunt Facultatis Cogitandi, sive
effectus ab hac Facultate Cogitandi. Ci-
tra Entis cogitantis accessionem, citra di-
versarum partium inter se comparatio-
nem, regulatissimum quantumvis aedi-
cium nihil aliud est, quam quidam are-
nae lapidumque cumulus: et Philomelae

can-

cantus nihilo magis harmonicus, quam stridor Noctuae, aut ploratus Bubonis. Absque hac actione nullum profecto fuerit in Natura reperire Totum, quod e multis extra se invicem positis partibus consistat; nam unaquaeque harum partium propriam suam habet existentiam, et singulae inter se invicem comparandae, atque in reciproca sui relatione ac nexus considerandae erunt, ut unum Totum constituere videantur. Vis cogitans, et quidem haec unica in universa rerum natura, capax est per intrinsecam quandam activitatem comparationes, nexus, et correlationes reales efficiendi: unde causa et origo omnis Compositi, numeri, quantitatis, symmetriae, harmoniae, etc. in quantum videlicet comparationem et correlationem quandam exposcent, solum et unice in Vi cogitante erit quaerenda. Quo concessso, ipsa Facultas cogitandi, ipsa inquam omnium comparationum et correlationum Causa, neutiquam poterit ex his ipsis sibimet propriis actionibus suam sumere originem; neutiquam in quadam relatione, Symmetria, Harmonia, neutiquam in quodam Toto e partibus

bus extra se invicem positis *composito* consistere: nam omnia haec jam praesupponunt actiones et effectus Entis Cogitantis; nec possunt aliter, quam per idem Ens Cogitans, realiter existere. — Hoc profecto perquam luculentum est, reposuit *Simmias*. — Cum unumquodque Totum, quod e partibus extra se invicem positis consistit, compositionem et comparationem harum partium praesupponat, compositio autem et comparatio ista Imaginandi Facultatis actio esse debeat, nequit origo hujus Imaginandi Facultatis in quodam Toto, quod ex idmodi extra se positis partibus constituitur, reponi, quin rem quamquam per proprias ipsiusmet actiones oriri posse admittamus. Ejusmodi absurditatem ne ipsi quidem fabularum scriptores, quantum quidem memini, unquam docere praesumebant. Nullus unquam tibiae cuiusdam originem in tonorum suorum concordantia, aut originem radiorum solis in Iridis arcu reponebat. — Si recte adverto, mi *Socrates!* tandem exiguum quoque illud, quod de nostro adhuc reliquum est dubio, evanescit propter modum. — Dubium hoc nihilominus

peculiariter expendi meretur, reposuit
Socrates; nisi forte per spinosas has inve-
stigationes vestram jam fatigo patientiam?
Perge porro, Amice! inclamabat eum
Crito, horum quoque periclitari patien-
tiam, si lubet: meae quippe non peper-
ceras, dum te ad propositae per me diffi-
cultatis solutionem urgebam. — — Ta-
ceamus de iis, interrupit sermonem ejus
Socrates, quorum certitudo jam sat su-
perque stabilita est: restant nobis adhuc
alia non pauca, quorum veritas quibus-
dam adhuc subiecta difficultatibus videri
posset. Illud quidem non jam, quod no-
stra sentiendi ac cogitandi facultas in situ,
conformatioне, ordine, ac harmonia cor-
porearum partium constitutivarum quaer-
enda esset: hoc quippe, quin sine Om-
nipotentiae, sine Sapientiae divinae de-
rogatum sit quidquam, qua rem absolute
impossibilem rejecimus. An forsitan Co-
gitans ista Vis una aliqua de proprietati-
bus *Compositi* fuerit, prout vis motus,
extensionis, compositionis, etc., quae a
situ et conformatioне partium essentialiter
distinguuntur, et tamen nullibi, quam
in *Composito* reperiri possunt? Annon
hoc

hoc unum adhuc de eo, quod impugnandum suscepimus, dubio nobis est reliquum? — Certe! — Ponamus igitur hunc casum, pergebat porro *Socrates*, et supponamus, quod *Anima nostra* sit quaedam *Activitas Compositi*. Pro comperto jam habemus, quod omnes *Compositi* activitates e partium constitutivarum viribus ortum ducere oporteat: annon igitur, e supposito nostro, necessum erit, ut partes constitutivae corporis cogitantis illis praeditae sint viribus, e quibus in *Composito Facultas cogitandi resultat?* *) — Omnino! — Verum quam naturam, aut quam proprietatem volumus adscribere hisce partium constitutivarum viribus? Sintne activitati cogitanti similes, sintne dissimiles? — Hanc quaestionem non rite intelligo, reponebat *Simmias*. — Unica syllaba, ajebat *Socrates*, illud cum tota

ora-

*) Nolui Autoris nostri verbum resultiret in versione permutare; cum sensum mentemque *Ipsius clarius* exprimat: quasi diceret:
* quibus viribus in *Composito RESULTATUM* quodpiam est *Facultas Cogitandi*.

oratione commune habet, quod intelligi queat: verum oratio tota suum habet sensum, non habet syllaba; nunquid? — Ita sane! — Cum ergo nonnisi unaquaque syllaba perceptibilem quidem, sed tamen pleno sensu carentem sensationem excitet, ex ejus contextu nihilominus sensus aliquis distinctus exsurgit, qui in Animam nostram agit. Hic oritur activitas Totius e viribus partium, quae ipsis sunt dissimiles. — Istud jam facilius intelligitur. — Respectu Harmoniae, Ordinis, et Pulchritudinis quoque simile quid deprehendimus. Voluptas illa, quam ex illis in Anima nostra capimus, originem sumit ex impressionibus partium constitutivarum, quarum unaquaque, singillatim sumta, nec voluptatem, nec taedium excitare valet. — Rechte istud quidem! — Manifesto iterum arguento, quod Aetivitas Totius e viribus partium constitutivarum, quae ipsis dissimiles sunt, oriri queat. — Hoc quoque lubens admitto. — Nescio, Amice mi! annon procul nimis progrediar; illud mihi videtur tamen, quod omnes aetivitates rerum corporearum ex ejusmodi viribus

pri-

primi principii queant profluere, quae ipsis prorsus sunt dissimiles. Color e. g. forsitan in idmodi impressiones poterit resolvi, quae nihil in se continent coloratum; atque ipse etiam motus forsitan exoritur e viribus principalibus, quae nihil minus sunt, quam motus. — Hoc equidem demonstratione opus habebit, ajebat Simmias. — Verum non est, cur his diutius immoremur, reposuit Socrates; satis illud sit, quod exemplis illustraverim, quid intellectum velim verbis illis: Activitas Totius potest e viribus partium constitutivarum, quae ipsis sunt dissimiles, suam ducere originem. An hoc jam perspicuum est? — Perfecte! — E nostro igitur supposito vires partium constitutivarum aut ipsae futurae sunt vires representandi, et per consequens virtuti Totius, quam ex iisdem oriri oporteret, similes, aut diversae longe proprietatis, adeoque dissimiles. An datur tertium aliquid? — Prorsus non! — Verum responde jam ad hoc quoque, Chare mi! Si e viribus simplicibus quedam ab ipsis diversa vis in Composito oriri deberet, qua in re foret nova haec

vis reponenda? Extra Ens Cogitans vi-
res Totius nihil sunt aliud, quam vires
partium constitutivarum simplicium singu-
lares, prout sese per actiones et reactio-
nes invicem permutant, ac limitant. Jam
vero per actionem et reactionem nulla
potest exsurgere vis, quae hisce actionis
et reactionis viribus esset dissimilis. Si
igitur dissimile quid in Toto obtainere vo-
lumus, necessario iterum in Ente Cogiti-
tante nostrum quaerere refugium oport-
ebit, quod sibi vires in nexus et simul
sumtas aliter repraesentat, quam ipsas si-
ne nexus et singillatim sumtas esset re-
praesentaturum. Hujus argumentum, praec-
ter Harmoniam, in coloribus quoque ha-
bemus. Componite duos diversos colo-
res in tam exiguum quodpiam spatium,
ut ipsos a se invicem distinguere nequeat
oculus; tum certe etiam extra nos sem-
per adhuc separati erunt, et uterque se
solo persistet: sensatio tamen nostra ter-
tium sibi aliquem repraesentabit colorem,
qui cum utroque illorum nihil prorsus
habeat commune. Idem etiam cum Gu-
stu usuvenit; et, nisi fallor, cum omni-
bus sensibus et sensationibus nostris ge-

ne-

neratim. Possunt nimis illae per compositionem et nexus in et per se nihil quidem fieri aliud, quam quod singillatim existentes essent; Enti tamen Cogitanti, quod ipsas nequit distin&ete secernere, possunt apparere aliter, quam absque nexo forent appariture. — Hoc quoque concedi potest; dicebat Simmias. — Potestne igitur Ens Cogitans suam causam et originem habere in viribus, quae non sunt cogitantes? — Impossibile! postquam prius jam vidimus, quod Facultas cogitandi in nullo Toto, quod e multis consistit, suam queat habere originem. — Optime; reponebat Socrates. Compositio virium simplicium, e quibus dissimilem quandam vim Compositi exsurgere oporteat, praesupponit Ens quoddam Cogitans, cui illae in nexo aliter apparent, quam reapse sint: unde ex hac compositione, ex hoc nexo absolute nequit Ens Cogitans exoriri. Si itaque Sensatio et Cogitatio, verbo: si Repraesentatio vis aliqua Compositi esse deberet; partium quoque constitutivarum vires non debebunt esse similes viribus Totius, et per consequens vires imaginandi? — Quo-

modo hoc aliter fieri posset, cum nequeat
dari tertium quidpiam? — Quid autem
partes harum partium constitutivarum, in
quantum videlicet unquam divisibilitas
pertingere potest, debentne hae quoque
ejusmodi imaginandi facultatibus esse
praeditae? — Citra controversiam; cum
quaelibet pars constitutiva iterum sit To-
tum aliquod, quod e partibus minoribus
componitur; cumque ratiocinatio nostra
tamdiu continuari queat, donec ad ipsa
prima principia, sive elementa perveniamus,
quae simplicia sunt, nec ex aliis
pluribus componuntur. — Dic mihi, cha-
re mi Simmia! annon reperimus nos in
Anima nostra infinitam propemodum idea-
rum, cognitionum, inclinationum, passio-
num copiam, quae nos sine intermissione
reddunt occupatos? — Omnino! — Ubi
autem has reperimus in divisis illis ac
subdivisis partibus? Vel enim dispersas,
quasdam videlicet in hac, quasdam in il-
la, quin unquam repeti queant; vel sal-
tem unica erit inter omnes, quae cun-
etas has cognitiones, appetitiones, aver-
sationes, quotquot demum in Anima no-
stra reperiuntur, conjungit, et in se com-
ple-

pletebitur? — Alterutrum necessario fuerit admittendum; reponebat Simmias: et mea quidem sententia primus ille casus prorsus est impossibilis; nam omnes representationes et affectiones Spiritus nostri ita sunt intrinsece copulatae ac unitae, ut necessario etiam alicubi inseparatae debeat existere. — Presso admodum tu mihi insistis pede, mi Simmias! Profecto nec recordatur, nec contemplatur, nec comparatur, nec cogitatur, quin imo ne quidem illa eadem, quae ante momenta aliquot fueramus, Persona essemus permansuri, si ideae nostrae in multis partibus divisae, neque ullibi in artissimo nexu suo forent reperibiles. Acceptanda nobis igitur est saltem substantia aliqua, quae omnes ideas partium constitutivarum conjungit; verum poteritne substantia ista e partibus esse composita? — Perinde non; secus enim nova opus habebimus compositione et comparatione, ut e partibus unum Totum efficiatur: atque sic eo iterum redditur sumus, unde egressi fueramus antea. — Erit igitur simplex? — Necessario! — Etiam inextensa? quia omne extensum

est divisible; divisible autem non est simplex. — Citra dubium! — Existit itaque in corpore nostro unica saltem substantia, quae non extensa, non composita, sed simplex est; quae repraesentandi gaudet facultate, atque omnes ideas, appetitiones, et affectiones nostras in se metipsa conjungit. Quid nos moratur, quin substantia ista nobis nuncupetur ANIMA? — Nihil interest, Amice consummatissime! reponebat Simmias, quo cunque demum substantiam istam compellemus nomine; satis nobis est, quod difficultas mea in ipsa nullum jam reperiatur dubitationi locum, cunctaque ratiocinia tua, quae pro incorruptione Entis Cogitantis aduleras, inconcussa jam persistant. — Ad haec Socrates: Sinite, unum hoc attentiori adhuc expendamus animo. Si multae idmodi substantiae in quodam corpore humano simul degerent; imo si omnia prima corporis nostri elementa pro hujus naturae substantiis habere vellemus, essentne ratiocinia mea pro incorruptione prolata per hoc de suo quidpiam robore perditura? aut vero non nos potius ejusmodi hypothesis eo adi geret,

geret, ut unius incorruptibilis Spiritus loco multos admittamus, adeoque plures statuamus existere, quam reapse pro nostro proposito desideramus? Unaquaeque enim harum substantiarum, prout antea vidimus, totam omnium integri hominis representationum, desideriorum, et appetitionum summam in se complectetur; adeoque, quod sphaeram cognitionis nostrae concernit, vis ejus non posset esse limitata magis, atque sit vis Totius, — Nulla certe ratione posset esse limitata magis. — Quomodo autem in claritate, veritate, certitudine, et vivacitate cognitionis? Pone multas perplexas, erroneas, et dubias ideas penes se invicem; an sic clara, perfecta, et determinata quaedam idea exsurget? — Non videtur posse. — Si nullus accedit Spiritus, qui eas comparet, qui meditando ac expendendo perfectiorem aliquam ex iis sibi ipse formet cognitionem; per omnem certe aeternitatem non desistent esse plures perplexae, erroneae, ac dubiae ideae. — Ita profecto! — Constitutivae igitur cogitantis Materiae partes deberent habere representationes, quae perinde distin-

Etac; perinde certae, perinde perfectae
sint, atque ipsae repraesentationes To-
tius: nam e minus distinctis, minus cer-
tis, etc., nequit ulla cognitio per com-
positionem produci, quae majorem ha-
rum perfectionum gradum esset habitura.
— Hoc equidem nemo ullus revocaverit
in dubium. — An autem hoc aliud esset,
quam loco unius rationalis Spiritus, quem
nos in quolibet corpore humano colloca-
tum voluimus, absque omni prorsus ne-
cessitate innumeram Spirituum copiam ac-
ceptare? — Non aliud certe! — Atque
haec ipsa cogitantium substantiarum mul-
titudo probabiliter non foret sibimet ipsi
aequalis; nam inutiles ejusmodi multipli-
cationes in hac rite ordinata rerum uni-
versitate locum non habent. — Suprema
ipsius Creatoris perfectio, reposuit *Sim-
mias*, non admittit, ut ad simile quid
cum certitudine asseverandum nostrum in-
ducamus animum. — Erit igitur inter co-
gitantes illas substancialias, quas in corpo-
re humano collocavimus, una quaedam
perfectissima, quae distinctissimas et adae-
quatissimas habitura est ideas, nunquid?
— Necessario! — Simplex haec substan-
tia,

tia, quae inextensa est, quae represe-
tandi gaudet facultate, quae inter cogi-
tantes substantias in me habitantes perfe-
ctissima, quae omnes ideas, quarum mihi
conscius sum, eadem cum claritate, ve-
ritate, certitudine, etc., in se complecti-
tur, nunquid Anima mea est? — Est
profecto, chare mi *Socrates*! —

Tempus nunc est, dilecte mi *Sim-
mia*! unum adhuc obtutum refigendi ad
viam illam, quam jam emensi sumus.
Praesupposuimus nos, facultatem cogi-
tandi proprietatem esse Compositi; et
vide, quam mirum! ex hac ipsa hypo-
thesi per rectam quandam ratiociniorum
seriem thesin huic e diametro oppositam
deducimus: quod nempe sensatio et co-
gitatio necessario debeant esse proprieta-
tes Simplicis, et non Compositi. Annon
id ipsum manifesto nobis esse potest ar-
gumento, hypothesin illam impossibilem,
sibi ipsi contradictoriam, adeoque rejiciendam
esse? — Nemo tibi hoc negare
poterit. — Extensio et Motus, pergebat
porro *Socrates*, in has ideas principales,
prout vidimus, resolvi possunt; et omne

denique id, quod Composito convenire potest. Extensio est principium, Motus autem fons, e quibus modificationes proveniunt. In compositione sub mille diversis formis sese exhibent spectabiles, atque in natura corporea infinitam mirabilium modificationum sistunt seriem: a minimo terrae pulviseulo ad immensam usque illam coelestium sphaerarum, quae a Poëtis pro deorum palatiis habentur, majestatem. Omnes in id consentiunt, quod principium earum sit Extensio, activitas autem ipsarum sit Motus. At vero percipere, comparare, ratiocinari, appetere, velle, voluptate et taedio affici, longe ab hac diversam postulant Extensionis ac Motus rationem, aliud quoque principium, alias denique modificationum fontes. In ente principali simpli- ci multa repraesentari, extra se invicem posita componi, simulque concipi, varia inter se comparari, et contraria in harmoniam reduci oportet. Quod in immenso mundi corporei spatio dispersum est, isthic sese coacervat ad efficiendum unum Totum, velut in punctum unum: quodque his nihilo minus est, praesenti hoc tem-

temporis momento cum eo, quod adhuc fieri oportebit, jam in comparationem dicitur. Isthic ego nec extensionem nec colorem, nec quietem nec motum, nec spatum nec tempus cognosco, sed quodpiam intrinsecus activum Ens, quod extensionem et colorem, quietem et motum, spatum et tempus sibi repraesentat, conjungit, separat, comparat, eligit, atque millenarum adhuc constitutionum capax est, quae tamen cum extensione et motu nihil prorsus commune habent. Voluptas et taedium, appetitiones et aversationes, spes et metus, felicitas et miseria, non sunt modificationes loci exiguorum pulvicularum terrae. Prudentia, Humanitas, Benevolentia, Amicitiae delectatio, et sublimis denique illa Timoris Domini sensatio majus profecto quid sunt, quam ebullitiones sanguinis, et pulsus arteriarum, quae affectiones illas comitari consuevere. Res tam inter se diversae, chare mi Simmia! tamque diversarum proprietatum nequeunt, citra extremam quandam negligentiam, secum invicem confundi, — Plene, plenissime mihi satisfactum video; erat responsum

Sim.

Simmiae. — Verum Socrates, juverit, inquietabat, exiguum adhuc aliquam fecisse reflexionem, priusquam ad te memet convertam, mi *Cebes!* Primum, quod de corpore, ejusdemque nobis compertum est proprietatibus, amplius quid est, quam modus ac ratio, quibus illud sese sensibus nostris exhibet? — Clarius aliquanto temet explica, chare mi *Socrates*!

Agam, quod potero. Extensio et Motus sunt representationes, quas sibi facit Ens cogitans de eo, quod extra se realiter existit, nunquid? — Concedo. — Esto, habeamus argumenta certissima, quibus convicti simus, res extra nos possitas reapse nihil aliud esse, quam nobis absque impedimento appareant; annon tamen, hoc non obstante, semper representatione ipsa praecedit, certitudo autem, quod objectum ipsius realiter existat, consequitur? — Quomodo id aliter fieri posset, reposuit *Simmias*, postquam rerum extra nos positarum existentiam non alia possumus ratione advertere, quam per earundem impressiones? — In

nostrae igitur cognitionis serie semper praecedit Ens cogitans, ens extensum vero subsequitur; nam prius animadvertisimus, quod ideae sive perceptiones, et per consequens ens quodpiam percipiens, realiter existentes adsint; atque ex his dein inferimus realem etiam praesentis eujusdam corporis, ejusdemque proprietatum existentiam. Veritas ista ex eo quoque nobis fit manifesta, quod Corpus, prout antea vidimus, absque actione Entis cogitantis nunquam Totum aliquod constitueret, et ipse quoque motus absque comparatione praesentis cum praeterito non esset motus. Quacunque igitur sui parte rem hanc consideremus, semper Anima cum suis actionibus prima se nobis offert, et dein primum subsequitur Corpus cum suis modificationibus. *Percipiens* semper praecedit aliud pure puto perceptibile. — Cebes haec audiens, Amici mei! inquietabat, idea ista majoris, quam prima quidem fronte videri possit, videatur esse emolumenti. — Integrum entium catenam, pergebat porro *Socrates*, ab Infinito videlicet ad minimum usque terae pulvisculum, in tria membra, sive in

tres

tres classes partiri possumus. Prima *percipi*; verum ipsa nequit ab aliis *percipi*: totam hanc classem Unicus ille explet, cuius Perfectio omnes finitas perceptio-nes et ideas supergreditur. Secunda con-sistit e Spiritibus sive Animabus creatis: *percipiunt* haec, et ipsae quoque possunt ab aliis *percipi*. Tertiam denique classem constituit Mundus iste Corporeus, qui ab aliis quidem *percipi*, at vero ipse nequit *percipere*: objecta tertiae hujus classis sunt, tam in serie nostrae cognitionis, quam etiam in ipsa existentia, extra nos posita; semper tamen postrema in ordine, cum semper realem Entis percipientis existentiam praesupponant: an isthoc ad-mittere dubitamus? — Minime omnium! ajebat Simmias; postquam priora omnia admitti oportuit. — Et tamen, pergebat Socrates, hominum opinio plerumque re-trogradam ab hoc ordine tenet viam. Primum, de quo nos plene convictos esse putamus, est Corpus, ejusdemque modi-ficationes; quae tantopere sensus nostros fascinant, ut per tempus aliquod mate-rialem existentiam pro solo et unico, omneque reliquum pro ejusdem proprie-ta-

tatibus habeamus. — Gratulor mihi, ajebat *Simmias*, quod tu, prout non obscure fateris, perversam *) hanc ipse secutus fueris viam. — Omnino, mi chare! reponebat *Socrates*. Primae omnium mortaliūm opinioneſ ſunt ſibi aequaleſ. Hoc eſt littus illud, ex quo cuneti ſua ventiſ vela committunt. Errant, quaerendo Ve- ritatem, ſus deque per opinionum oceānum; donec Ratio et Meditatio, magni illae Jovis filiae, vela ipsorum illumineſ, atque fortunatum iſpis in portum adventum adnuntient. Ratio et Medita- tio Spirituſ noſtrum a materialibuſ mundi corporei impressionib⁹ in ſuām redu- cunt Patriam, in illam videlicet Entiuſ cogitantiuſ regionem; primum quidem ad ſibi ſimilia, ad creata entia, quae propter finitudinem ſuam ab aliis quoque cogitari, ac diſtincte concipi poſſunt. Ab hiſ elevant iſipum ad primum illud Cogi- tan-

*) Norint Grammatici Critones, me data ope- ra den verkehrten Weg perversam viam no- minaffe, quin veritus ſim, ne commiſſi idiotismi germanici & ſcioliſ Recenſentibus arguar.

tantis et Cogitabilis principium, ad Ens illud omnia concipiens, a nullo autem perceptibile; de quo pro solatio nostro illud pro comperto habemus, quod omnia, quaecunque in hoc mundo corporeo, atque illa Spirituum regione pulchra et perfecta sunt, ab ipso suam adepta sint existentia in, ejusdemque conserventur Omnipotentia. Enimvero nihil his amplius ad tranquillitatem, ac beatitudinem tam praesentis, quam futurae vitae nostrae requiritur, quam ut de hac Veritate convicti, ab hac commoti, atque in intimis quibusque cordis nostri penetralibus simus penetrati,

DIALOGUS III.

Interposito paulisper silentio Socrates ad Cebetem conversus, chare mi Cebes! inquietabat, postquam magis distinctas de essentia immortalium jam adeptus es ideas, quid tibi de iis fabularum magistris videtur, qui saepius Deum aliquem mortalism ejuspiam meritis invide inhantem,

tem, atque adversus illum, solis ingratitiis, hostiliter cogitantem esse finunt? — Nosti tu, mi *Socrates*! quid nos de idmodi magistris, eorumque fictionibus sentire docti simus. — Odium et Invidia, abjectissimae passiones istae, quae humanae naturae tantopere sunt dedecori, debent divinae Sanctitati directe contradicere. — Hoc equidem pro indubitate habeo. — Tu igitur plene jam persuasum habes animum, et quidem citra ullam dubii suspicionem, quod tu, nos, omnesque proximi nostri a sanctissimo illo Ente, quod nos produxerat, nec invidiam, nec odium, nec persecutionem pertimescendam habeamus, sed tenerrimo diligamur amore? — Certissime! — Plena hac fretus fiducia nullum jam unquam sinis in animum tuum induci metum, quod Altissimus ille aeternis te adjudicaturus cruciatibus, atque, nocens innocensve fueris, indefinenter miserum te esse foret permissurus? — Nunquam! nunquam! exclamabat *Apollodorus*, tametsi ad ipsum nullatenus directa fuerit quaestio; cui *Cebes* quoque assensum praebuit. — Tum *Socrates*: Propositionem hanc, quod Deus

nos aeternis calamitatibus non destinet, pro regula certitudinis nostrae cognitionis, sive pro criterio Veritatis posthac assumturi sumus, ubiubi de rebus futuris, quae solum et unice a voluntate Altissimi dependent, sermo inciderit. E natura et proprietatibus rerum creatarum nihil hac in re certi potest determinari: ex his enim nonnisi illae fluunt propositiones, quae in et per se sunt immutabiles, adeoque a cognitione Altissimi, non vero ab Ejusdem beneplacito, dependent. In ejusmodi pervestigationibus ad divinas perfectiones nosmet convertere nos oportet; atque perscrutari, quid iisdem conveniat, quid contradicat. De quo convidi sumus, quod iisdem non sit conforme, illud tuto rejicere, et pro tam impossibili habere possumus, ac si cum ipsa natura et essentia rei in quaestione vocatae pugnaret. Hujus generis quaestio est haec ipsa, mi Cebes! quam nunc occasione propositionae difficultatis tuae in examen habemus vocandam. Admittis tu hoc, Amice! quod Anima ens simplex sit, et absque corpore etiam suam habeat subsistentiam, nunquid? — Admitto. —

Illud

Illud quoque, quod incorruptibilis sit? — Et hoc mihi quoque proſus indubitatum est. — Eo nempe, pergebat *Socrates*, noſtræ de natura extensionis et repræſentationis ideæ nos perduxerant. Nunc vero de futuro Spiritus humani statu ac forte oriuntur dubia, in quantum nimirum unice et ſolum a voluntate et beneplacito Altissimi dependet. An ille Spiri- tum hominis in ſtatu vigilanti, praefen- tium ac praeteritorum memorem et conſcium, per omnem aeternitatem ſinet per- fiftare? aut forte praefixit ei, ut post obi- tum ſui corporis in ſtatum aliquem ſomno non diſſimilem dehifcat, neque evigilet unquam? Annon hoc ipsum erat, quod tibi incertum adhuc videbatur? — Hoc ipsum, mi *Socrates*! — Quod plena ac integra omnis clarae conſcientiae, omniſque memoriae privatio, ſaltem per breve aliquod tempus, non ſit imposſibilis, do- cet Somnus, Deliquium animi, Vertigo, Extasis, milleque aliae experientiae. His quidem in caſibus Anima ſuo adhuc vi- ſta tenetur corpore, cogiturque ſemet ac- commode constitutioni cerebri, quod ipſi in cunctis hiſce debilitatibus nihil

praeter obscuras quasdam, facileque debiles subministrat notas. Ex hoc igitur ad illum Animae nostrae statum, qui eam post suum a corpore divortium manet, nullum potest formari argumentum; tunc enim sublatum est omne inter diversa haec entia commercium: cessat Corpus esse organum Animae, Anima autem longe aliis insistere debet legibus, quam quibus isthic terrarum fuerat limitata. Interim satis fuerit incertitudini nostrae factum, quod defectus clarae conscientiae, prout fere in somno usuvenit, naturae Spiritus non repugnet; si enim hoc foret, tum profecto metus noster non omni prorsus careret fundamento. — Quid si autem a terribili hoc dubio immunes reddi cupimus, possumusne amplius quid postulare, quam asservationem, quod sollicitudo nostra intentionibus Dei contrarietur, quodque ab eodem tam parum, quam aeterna creaturarum suarum perditio, rata potuerit haberi? — Ita sane respondebat Cebes; nisi forte ejusmodi convictionem poscamus, quae naturae rei quaesitae repugnet. Dum tibi, mi chare Amice! dubia mea proposueram, ipse
ego

ego quaedam ex intentionibus Creatoris
repetita adferebam argumenta, quibus
systema tuum summe redditur probabile:
verum illa ego e tuo potius ore percipere
desidero; quod ipsum meorum quoque
amicorum est desiderium.

Faciam igitur periculum, ajebat Socrates, an votis queam respondere vestris.
Dic tu mihi primum, Cebes! si vereris,
ne cum morte omnem in aeternum vigi-
lantem tui ipsius conscientiam amittas;
metuisne etiam, ne haec ipsa sors uni-
versum quoque genus humanum, aut ve-
ro aliquam saltem ejusdem partem ma-
neat? An omnes nos per mortem rapi-
mur, atque, more Poëtarum loquendo,
ab ipsa in sinum senioris fratris sui, som-
ni videlicet perpetui, transferimur? aut
vero sunt terricolarum nonnulli eo desti-
nati, ut ab Aurora illa coelesti ad im-
mortalitatem suscitentur? Ut primuu illud
admittimus, quod uni parti generis hu-
mani vera immortalitas sit praedeterminata;
tum non credo, Cebetem vel uno ad-
huc posse dubitare momento, quod beatu-
tudo ista Justis, Deorum hominumque

Amicis, sit reservata? — Nullus dubito,
mi Socrates! Dii profecto non tam injuste
distribuunt mortem aeternam, prout A-
thenienes temporalem. Ad haec illud
quoque existimo, quod in sapientissimo
Creationis Plano similia entia similes etiam
habeant praedeterminationes, adeoque
universum genus humanum post hanc vi-
tam similis fors maneat, ac conditio.
Aut quippe omnes ad novam aliquam sui
ipsius conscientiam evigilant; et tunc nec
Anitus, nec *Mellitus* dubitaverint am-
plius, quod suppressam Innocentiam me-
lior fors maneat, quam ejusdem persecu-
tores: aut vero terminant omnes cum
morte suam quoque destinationem, re-
deunteque in statum illum, ex quo in or-
tu suo fuere desunti: scena eorum non
pertingit ultra, quam ad praesentis vitae
theatrum: in fine recedunt actores, fiunt-
que iterum, quod fuere alias in vita com-
muni. Metuo, Amice mi! cogitationes
istas ultro persequi; animadverto quip-
pe, quod in manifestas me perducant
absurditates. — Nil quidquam nos istud
moretur, *Cebes!* reponebat *Socrates*: nam
pro illis quoque oportet nos esse sollici-
tos,

tos, qui ad absurdam aliquam consequentiam non tam facile erubescunt. Asserebas tu, mi chare! in sapientissimo Creationis Plano entia similia similes etiam habere praedeterminationes oportere? — Ita! — Omnia entia creata, quae cogitant et volunt, sunt sibi invicem similia? — Omnino! — Etiamsi istud rectius, verius, atque perfectius cogitet, plura objecta comprehendendi capax sit, quam illud; nulla tamen datur limitis linea, quae ipsa in diversas classes separet, sed elevant illa sese inobservabilibus gradibus supra se invicem, atque unum nonnisi genus entium efficiunt, nunquid? — Hoc quoque concessum oportet. — Et si supra nos altiores adhuc dantur Spiritus, qui sibi invicem inobservabilibus Perfectionis gradibus antecellunt, atque Spiritui Infinito gradatim adpropinquant, anton tamen omnes, quotquot demum illorum creati sint, ad unum idemque genus pertinent? — Citra dubium! — Quemadmodum eorum proprietates non sunt essentialiter distinctae, sed nonnisi gradu, veluti in quadam serie continua, sese pedetentim elevant; ita destinationes

quoque ipsorum sibi invicem in essentia-
libus similes, et nonnisi inob servabilibus
gradibus a se invicem distinctas esse oportet. Nam in magno illo Creationis Pla-
no cuncta secundum regulas omnium per-
fectissimae Harmoniae ordinata sunt; unde etiam destinationes entium cum perfe-
ctionibus et proprietatibus suis quam ac-
curatissime concordent, est necesse. An hoc in dubium revocare possumus? —
Minime omnium! — O Amici mei!
quaestio, quam isthic in examen voca-
mus, incipit in divino illo magni hujus
Universi decreto infiniti esse momenti.
Non modo genus humanum, sed univer-
sum entium cogitantium regnum concer-
nit decisiva sententia. Suntne illa ad ve-
ram immortalitatem, ad perpetuam sui
ipsius conscientiae, et distincti sensus
proprii durationem destinata? an contra-
cessant iterum post brevem fruitionem ista
Creatoris beneficia, locumque cedunt
oblivioni cuidam aeternae? In decreto
Altissimi, prout vidimus, debuit isthaec
quaestio in hac universalitate fuisse deci-
sa: annon igitur nos quoque, occasione
praesentis per vestigationis nostrae, can-
dem

dem in universali hac luce habebimus considerandam? — Prout videtur. — Verum quo universalius fit objectum, pergebat *Socrates*, eo absurdior fit sollicitudo nostra. Omnes Spiritus finiti habent sibi concreatas habilitates, quas ipsi per exercitium evolvunt, et perfectiores reddunt. Homo innatam sibi sentiendi ac cogitandi facultatem admirabili quadam celeritate perficit. Cum qualibet sensatione torrentis instar ingens cognitionum copia eidem adfluit, quae humana lingua nequeunt exprimi: et si illas sibi invicem conferat, inter se comparet, judicet, inferat, eligat, rejiciat; tum copiam istam in infinitum multiplicat. Eodem tempore explicat sese immensa quaedam innatarum ipsi spiritualium habilitatum promitudo, efformatque semet in ipso ingenium, intellectus, ratio, vis inventandi, pulchri bonique sensus, magnanimitas, dilectio proximi, socialitas, et sexcenta alia perfectionum agmina, quas adipisci nullus adhuc mortalium in hac vita intermittere poterat. Esto, homines quospiam stupidos, dementes, duri cordis, abjecti animi, crudelesque dica-

M 5 mus:

mus: in comparatione cum aliis possunt
idmodi denominationes nonnunquam lo-
cum habere; at vero non fuit tantum
adhuc reperire stolonem, qui non aliqua
saltem Rationis dedisset specimina, nec
tyrannum tantum, in cuius sinu non ali-
qua saltem humanitatis scintilla micaret.
Nam omnes adipiscimur perfectiones istas;
atque differentia omnis nonnisi in *plus* vel
minus consistit: omnes, inquam, illas
adipiscimur, Amici mei! nam illud ne
sceleratissimo quidem mortalium succe-
rat unquam, ut destinationi suae directe
contrarias potuisset exercere actiones.
Resistat, repugnet, quantacunque demur
velit cum pertinacia; haec ipsa tamen
resistentia innatum sibi aliquem habebit
pro fundamento stimulum, qui origine
sua bonus, et nonnisi per malam applica-
tionem perversus fuerit effectus. Erronea
haec applicatio facit hominem imperfe-
ctum et miserum; executio nihilominus
stimuli illius origine sua boni promovet,
etiam praeter voluntatem suam, scopum
existentiae suae. Tali ratione, Amici
mei! nullus adhuc mortalium in beneficio
cum proximis suis consortio vixerat, qui
ter-

terram hanc non reliquisset perfectior,
quam eandem sit ingressus. Perinde se
res habet cum integra Entium cogitantium
serie: quamdiu illa sibi ipsi conscientia sunt,
quamdiu cogitant, volunt, appetunt,
aversantur; tamdiu innatas sibi facultates
magis semper magisque excolunt: quanto
sele in iisdem exercent diutius, tanto
majorem nanciscuntur virium suarum a-
ctitatem, tanto promptiores, velociores,
liberiores fiunt, minusque impeditae ipso-
rum actiones; tanto denique capaciora
evadunt ipsa, in verae Pulchritudinis et
Perfectionis intuitione beatitudinem suam
inveniendi. Quid autem? Amici mei! an
omnes hae divinae prorsus Perfectiones,
quas tamdiu entia illa sibi comparare de-
bebant, simul semelque percant, veluti
spuma levis in aquis, veluti sagitta aërem
pervolans? nec ulla post se relinquant
vestigia, quod isthic terrarum reapse un-
quam extiterint? Minimus quisunque
terrae pulvisculus nequit in hac rerum
natura, citra miraculosam adnihilationem,
pessumire; et tamen Magnificentiae istae
aeternum evanescant? respectu eorum
entium, a quibus possidebantur, absque

se-

sequelis, absque utilitate, ita considerentur, ac si nunquam ad ipsa spectavissent? Quas, quaeſo, ideas de Plano Creationis praefupponit isthaec opinio! In hoc sapientissimo Plano Bonum infinitae est utilitatis, quaelibet Perfectio indesinientium sequelarum; sed nonnisi Perfectio entium simplicium, se ipsa sentientium, quibus solis, in sensu proprio, realis aliqua adscribi potest Perfectio: illa autem, quam in entibus compositis animadvertisimus, transitoria est, et instabilis, prout entia ipsa, quibus competunt. Quod ipsum ut tanto luculentius perspiciamus, Amici mei! differentiam illam inter Simplex et Compositum denuo in examen habemus vocandam. Vidimus jam, *Composito*, citra relationem ad simplex cogitansve Ens, nec Pulchritudinem, Ordinem, Harmoniam, nec Perfectionem convenire posse; quin imo citra relationem istam ne ita quidem possunt Composita videri, ut unum *Totum* efficiant. Neque illa in magno hujus Universi decreto sui ipsius causa fuere producta: sunt quippe expertia vitae, neque conscientia existentiae suae; minime autem omnium,
qua

qua talia , ullius perfectionis capacia .
Scopus existentiae ipsorum potius in vi-
ventibus et sentientibus Creationis parti-
bus quaerendus est : vitae expertia ser-
viunt vita praditis pro sensationum organis ,
et subministrant iisdem non modo
corporeas rerum multiplicium sensationes ,
sed ideas quoque Pulchritudinis , Ordinis ,
Symmetriae , Medii , Finis , Perfectionis ,
aut saltem materiam pro omnibus hisce
ideis , quas dein Ens cogitans , virtute
intrinsecæ aetivitatis suae , ipsum sibi ef-
format . In Composito nihil per se ipsum
subsistens reperimus ; nihil , quod perdu-
ret , atque stabilitatem aliquam habeat
ita , ut momento proxime sequenti dicere
possimus illud ipsum esse , quod momen-
to proxime praecedenti fuerat . A quo
ego vos isthic considero , Amici mei ! non
modo Solis radii , qui e vultibus vestris re-
flectuntur , in continuo quodam fluunt tor-
rente ; sed corpora quoque vestra in ae-
terna sui conformatio ne et nexus infinitas
propemodum modificationes sunt perpe-
sa : singulae eorundem partes cessarunt
esse eadem , quae fuere prius ; suntque
in continua commutatione ac fluxu mo-
difi-

dificationum, qui easdem indesinenter secum abripit: quemadmodum beati illi praeteritarum aetatum Sapientes probe observaverant, quod entia corporea, qua talia, nihil reapse sint, sed orientur continuo, et praeterereant; nihil in iis stabile, durabile nihil; sed cuncta sibi invia cem subsequuntur in continuo quodam, ac nulla ratione retinendo permutationum torrente, quo entia composita sine intermissione generantur, et resolvuntur. Id ipsum HOMERUS quoque intellectum voluit, dum Oceanum Patrem, Thetin autem rerum omnium Matrem nominavit: quod videlicet cuncta mundi hujus visibilis entia per continua commutationem orientur, et circumfluentis oceani instar ne uno quidem momento in priori suo loco persistant.

Si igitur Compositum se ipso perdurationis incapax est, quanto minus fuerint ejusdem perfectiones, quae Composito, prout vidimus, nunquam in et per se, sed solum quoad relationem ad Sentiens et Cogitans in hoc Creationis universo possunt attribui? Unde videmus etiam,

etiam, in vitae experti Creationis universo Pulchrum omne contabescere, et resflorescere iterum; Perfectum praeterire, et mox iterum in alia quadam forma comparere; apparentem disordinem et regularitatem, harmoniam et discordiam, delectans et adversans, bonum et malum in infinita quadam varietate secum invicem commutari; prout nimirum usus, utilitas, commoditas, voluptas, et felicitas entium vita praeditorum exigit, quorum gratia Composita illa vitae experientia fuere producta.

Pars viva hujus universi duas complectitur classes; materialiter sentientes, et spiritualiter cogitantes Naturas. Illud autem ambae sibi commune habent, quod sunt perennantis essentiae, atque interna quadem se ipsa subsistente perfectione potiri ac perfaci queant. In cunctis, quae terram hanc incolunt, animantibus illud animadvertisimus, quod ipsorum sensaciones, cognitiones, appetitiones, innatae naturae stimuli modo quodam summe mirabili cum necessitatibus eorundem concordent, et generatim ad ipsorum conser-

servationem, commoditatem, propagacionem, partim etiam ad felicitatem suorum successorum tendant. Harmonia ista interne ipsis indita est; nam omnes ipsorum affectiones, atque naturae stimuli attributa sunt Entis simplicis et incorporei, quod in illis sibi ipso, rerumque aliarum conscientium est: hinc veram possident perfectionem, quae non primum in relatione ad alia extra se posita *Perfectio* nuncupari debet, sed subsistentiam ac durabilitatem suam per se ipsam habet. Si entia vitae expertia partim illorum gratia existunt, ut sustentationem, voluptatem, et commoditatem reperire queant; tum etiam ex parte sua capacia esse possunt his beneficiis perfruendi, voluptatem et tedium, gratum et ingratum, appetitionem et aversationem, felicitatem et infelicitatem persentiscendi; siveque et ipsa reddi queunt intrinsece perfecta vel imperfecta. Si entia vitae expertia fuere media, quibus sapientissimus Creator usus est; tum animantia quoque jam eo ipso ad intentiones Ejusdem pertinuere: nam illorum quoque gratia pars aliqua Creationis vita carentis fuerat producta; atque ipsa etiam

gau-

gaudent facultate illis perfruendi, u
deo et ipsa reddi queant in interiori
natura sua concordantia et perfecta. Con-
tra autem, quamdiu in hac terra coram
nobis versantur, nullas in ipsis continuas
ad sublimorem aliquem perfectionis gra-
dum progressiones animadvertisimus. Ob-
tinent illa absque ulla informatione, con-
templatione, exercitio, proposito, scien-
dique cupiditate, quasi immediate ex ipsa
manu Omnipotentis omnes illas dotes,
habilitates, stimulos, et instinctus, qui-
bus pro conservatione ac propagatione
sua opus habent. His nihil quidquam
adipiscuntur, aut ipsa sibi comparant am-
plius, etiamsi per saecula vivant, aut
se in infinitum multiplicent, ac propa-
gent. Obtenta pariter nequeunt sive
perfectiora reddere, sive in pejora con-
vertere, sive denique cum aliis communi-
care; sed exercent illa innata sibi ope-
randi methodo, quamdiu circumstantiis
ipsorum sunt proficia; et tandem viden-
tur etiam eorum pedetentim iterum obli-
visci. Adhibita industria humana possunt
quidem nonnulla animantia domestica
modicum quidpiam condiscere, et belli-

cis, aut etiam levioribus laboribus domesticis adhiberi; ipso tamen modo a ratione, quibus idmodi instructiones suscipiunt, satis superque demonstrant, vitam suam isthic terrarum nullatenus ad id esse destinatam, ut continua esset ad perfectionem progressio; sed certum aliquem habilitatis gradum, quem attingunt, ultimum etiam esse ipsorum finem, nec unquam ipsa ulterius suapte natura progredi, nec ad sublimiores quasdam actiones ponendas interne impelli posse. Jam vero ipsa haec progrediendi negligentia, stupida ista cum obtentis contentio, citra ullum semetipsa in altius quid provehendi desiderium, manifesto est argumento, quod in magno illo Creationis Plano non prorsus ultimus fuerint finis, sed ut qua viliores scopi simul etiam pro mediis servirent, atque digniorum sublimiorumque destinationum entibus in adimplendis finalibus Dei intentionibus auxilio essent. Verum fons vitae ac sensationum est in ipsis Ens quoddam simplex, se ipso subsistens, quod inter omnes modificationes, quas in communi rerum cursu patitur, constans quidpiam ac perennans

nans habet; unde proprietates, quas semel jam per educationem, aut qua immediatum e manu Benignissimi donum obtinuit, eidem proprio convenire, per vias naturales nunquam amplius ex integro interire, sed indeſinentium sequarum esse debebunt. Cum sentiens haec anima naturaliter nunquam cefſet exiſtere, nunquam etiam cefſabit intentiones Dei in natura promovere, eritque cum unaquaque ſuae existentiae duratione habilior ſemper, habiliorque ad auxiliandum, ut magnus ſui Autoris ſcopus adimplatur. Hoc infinitae illi Sapientiae conforme eſt, quacum hujus universi Planum in concilio deorum fuit decretum. Cuncta funt in continuo quodam labore et conatu, certas quaspiam intentiones in hoc Plano adimplendi. Unicuique reali ſubſtantiae eſt immensa quaedam actionum ſeries praefcripta, quas pedetentim peragere debet; agens autem ſubſtantia per ultimam actionem ſemper fit aptior ad proxime ſequentem melius exequendam. Secundum haec principia ens illud spirituale, quod bruta animat, infinitae eſt durationis, continuatque per

omnem aeternitatem intentiones Dei in illa serie et graduum sequela adimplere, quae ipsi in universali Plano fuit praefixa.

Utrum animales hae, et materialiter sentientes Naturae cum tempore humiles gradus suos deserturae, et quodam Omnipotentis adnutu provocatae in illam Spirituum sphaeram semet elevaturae sint, nequit cum certitudine determinari; quanquam, ut id crederem, facile admodum meum inducturus essem animalium.

Rationales Naturae et Spiritus in magna hac rerum universitate, prout peculiariter in hac terra Homo, principem tenent locum. Secundario huic Creatio- nis domino in virginea pulchritudine sua exornatam se fistit Natura. Sunt eidem inanimata non modo utilitati et commodi- tati, non modo nutrimento, vestitu, habitationi, atque securae commorationi, sed praeprimis delectationi et instructioni deservientia; altissimae quoque sphaerae, astraque remotissima, quae vix oculis per-

pertingi possunt, debent eidem hunc in finem esse auxilio. Vultisne ipsius hac in terra nosse destinationem? videte saltem, quid reapse hac in terra exequatur. Non adfert ille secum ad hoc theatrum promptitudinem ullam, aut naturae stimulum, non innatam sibi habilitatem, non opes, non auxilium, atque in primo suo in hunc mundum ingressu egentior comparet, omnisque subsidii expers magis, quam animal quocunque ratione destitutum. Verum conatus et habilitas semet perfectiorem reddendi, sublimissimae hae dotes, resarcint multifariam brutalium illorum instinctuum et habitatum defecum, quae nullam meliorationem, nec altiorem aliquem Perfectionis gradum adtingere queunt unquam. Vix incipit solis perfrui lumine, universa jam ad ipsum perfectiorem reddendum collaborat Natura: hoc sensus ejus acuit, imaginandi vim, ac reminiscendi facultatem roborat; illud nobiliores cognitionum motus exercet, intellectum, rationem, ingenium, perspicaciam perficit; Pulchrum, quod in natura est, genium ipsius erudit, affectiones purificat; quod est in natura

Sublime, admirationem ejus excitat, atque ideas ipsius quodammodo supra hujus mortalitatis sphærā adtollit. Ordo, Harmonia, Symmetria non modo rationabiles eidem praestant delicias, sed vires quoque animi occupant cum debita quadam, atque perfectioni ipsius accommoda harmonia. Paulo post cum sibi simili societatem init, ut sibi reciproce felicitatis suae media adlevient; et ecce! per societatem istam evolvunt se perfcicuntque in ipso sublimiores quaedam perfectiones, quae prius veluti in bulbo quodam convoluta haerebant. Adipiscitur ille officia, jura, privilegia, obligationes, quae ipsum ad classem moralium Naturarum evehunt; oriuntur ideae de justitia, aequitate, decentia, honore, existimatione, fama. Suis ille limitibus circumscriptus ad Familiae suae dilectionem stimulus in amorem Patriae convertitur, ad universum genus humanum dilatatur, atque ex innato illo compassio- nis semine progignuntur Benevolentia, Mansuetudo, et Magnanimitas.

Con-

Conversatio, socialitas, colloquium, recreatio perducunt pedetentim omnes virtutes morales ad maturitatem; accendunt cor ad amicitiam, peccus ad generositatem, Spiritum ad Veritatis amorem; expandunt super vitam humanam quandam mutui obsequii, atque reciprocae dilectionis aemulationem, aliquam serii et jucundi, morositatis ac hilaritatis commutationem, quae omnes solitarias, et non sociales voluptates suavitate sua quam longissime antecellunt. Hinc etiam nihil nobis gratiae, solatii, aut emolumenti conferunt omnium hujus mundi dvitiarum possessio, et ardentissimae quantumvis voluptatis fruitio, si in solitudine iisdem potiri ac perfrui nos oporteat; et denique sublimissima quaeque, ac maiestate plenissima Naturae objecta non delectant tantopere animal hoc sociabile, Hominem, quam recreet unicus, quem in proximum suum figit, obtutus!

Jam si rationalis haec Creatura veras etiam de Deo, ejusdemque proprietibus obtineat ideas, eheu! quam audax iste ad sublimiorem Perfectionem gradus!

e suo cum concreatura sua consortio ingreditur quandam cum ipso Creatore familiaritatem! cognoscit relationem illam, quam ipse, universum genus humanum, omneque Vivens ac Mortuum cum hoc Autore et Conservatore Universi habet; magnus ille causarum et effectuum in natura ordo nunc ipsi in quendam medium et finium ordinem convertitur; quidquid hactenus in terris possidebat, fuit ipsi quasi e nubibus delapsum: nunc autem dissipatae sunt nubes istae, coramque intuetur in hilarem illum Datorem, qui ipsi cuncta haec beneficia in uberrima plenitudine adfluere jussérat. Quas in corpore et animo proprietates, dotes, et facultates possidet, agnoscit esse dona Patris hujus benignissimi; omnem Pulchritudinem, omnem Harmoniam, omne Bonum, Sapientiam, Providentiam, Media, et Fines, quotquot in hoc visibili et invisibili mundo cognoverat, jam qua Cogitationes Sapientissimi illius contemplatur, quas ipsi ex immenso suae Creationis libro legendas dederat, ut ipsum ad sublimiorem educaret Perfectionem. Amantissimo huic Patri et
Edu-

Educatori, benignissimo huic Orbis universi Rectori consecrat ille omnes simul cordis sui virtutes, quae divinum quendam in oculis ejus nanciscuntur splendorem, dum videt; se per illas, et quidem per illas solas complacere Altissimo! Sola Virtus est, quae nos perducit ad beatitudinem, neque sufficiimus aliter placere Creatori, quam si ad veram beatitudinem nostram pertingere satagamus. Quantum in hisce jam terris eminentiam adeptus est Homo per isthanc sui constitutionem! Considerate eum, Amici mei! considerate bene moratum hunc in Statu Dei civem; animadvertisse, quomodo omnes cogitationes, vota, inclinationes, et passiones quoque ipsius inter se concordent; quomodo omnes ad veram Creaturae felicitatem, atque ad majorem Creatoris gloriam tendant ac conspirent! O! si mundus vel unicam tantae perfectionis creaturam nobis sistere posset, an moraretur nos aliquid, quin in hoc Divinitatis imitatore, in hoc divinae complacentiae obiecto, supremum Creationis finem repe-
risse nos existimemus?

Fatendum quidem est, singulas hujus imaginis notas non generatim unicuique hominum convenire, sed in iis paucis duntaxat nobilioribus reperiri, qui generis humani sunt ornamenta: verum id ipsum posset esse aliqua ratione limes ille inter homines et Spiritus sublimiores. Satis illud est, quod omnes ad unam eandemque classem pertineant, omnisque eorum differentia nonnisi in *plus vel minus* consistat. Ab ignorantissimis hominibus ad perfectissimos usque inter creatos spiritus, omnes sine exceptione suam habent divinae Sapientiae congruentem, propriisque ipsorum viribus ac facultatibus accommodatam destinationem, ut se, aliosque etiam, reddant perfectiores. Haec ipsis praefixa est via; et perversissima quantumvis voluntas nequit ullum ex integro ab eadem seducere. Quidquid vivit, et cogitat, nequit intermittere, quin cognitionem suam, suasque appetendi vires exerceat, perficiat, in promptitudines convertat, adeoque plus vel minus, id est, fortioribus vel debilioribus passibus ad Perfectionem adpropinquet. Quandonam autem adtingitur iste ter-

terminus? Prout videtur, nunquam ea cum plenitudine, ut ad ulteriorem progressum paeclusa esset via: creatae enim naturae nunquam valent tantam adtingere perfectionem, qua major nequeat cogitari. Quo altius scandunt, eo plures nunquam adhuc ipsis visae distantiae sese ipsorum pandunt oculis, quae conatur ac gressibus ipsorum calcar addunt. Finis hujus conaminis consistit, prout essentia Temporis, in progressione continua. Per imitationem Dei possumus magis semper, magisque adpropinquare ejusdem perfectionibus; atque in hac ipsa adpropinquatione consistit omnis Spirituum beatitudo: verum via, quae ad eandem dicit, est infinita, neque eam quis in aeternum valet integrum emetiri. Unde conatus iste progrediendi nescit ullos in vita humana limites. Unumquodque desiderium humanum in et per se tendit in infinitum. Nostra sciendi cupiditas est insatiable, honoris appetentia insatiabilis, ipsa auri sacra fames affligit nos, continuoque nobis molesta est, quin unquam plenam nobis satisfactionem indulgeat. Pulchritudinis affectio quaerit infinitum;

Subli-

Sublime allicit nos nonnisi per inpenetrabile illud, quod ipsi inest; ipsius denique voluptatis taedio afficimur, ut primum saturitatis limites adtigerit. Ubi obices videmus, quibus transgrediendis impares sumus, nostra imaginandi vis semet quasi vinculis constrictam persentia-
scit; atque ipsi immensi illi coelorum for-
nices videntur existentiam nostram arctis
nimium spatiis conclusisse: unde tam li-
benter etiam nostrae imaginandi facultati
fraena laxamus, atque Spatii limites in
infinitum usque protendimus. Conatus
iste limitis expers, qui finem suum ma-
gis semper, magisque extendit, essentiae,
proprietatibus, atque destinationi Spir-
ituum est accommodatus: et mirabilia illa
Infiniti opera sufficientem subministrant
materiem ac nutrimentum, quibus cona-
tus iste per omnem aeternitatem valeat
interteneri. Quanto magis in ejus my-
steria penetrare satagimus, tanto amplio-
res prospectus sese nostris adaperiunt
oculis; quoive plus penetramus, eo no-
bis plus adhuc penetrandum restare ex-
perimentur; quanto plura hausimus, tanto
mi-

minus exauribilem reperimus scaturiginem.

Possimus igitur, pergebat porro *Socrates*, non mediocri Veritatis argumento, illud acceptare, quod iste ad Perfectionem progrediendi conatus, istud interioris praecellentiae incrementum sit ipsa entium rationalium destinatio, adeoque supremus etiam Creationis finis: Et illud quoque, quod immensa haec Universi machina eum sit in finem producta, ut rationalia existant entia, quae de gradu ad gradum progrediantur, in Perfectione pedetentim crescant, atque in hoc ipso incremento beatitudinem suam reperiant. Ut autem entia haec omnia simul media in via subsistant, et non modo subsistant, sed reapse etiam simul semelque in abyssum rejiciantur, omnemque sui conatus ac industriae fructum amittant! hoc enim vero Altissimum illud Ens nulla prorsus ratione poterat ratum habuisse, neque in sapientissimum universi Planum ac Decretum transtulisse, quod videlicet ipsi prae cacteris omnibus praeflacebat. Qua entia simplicia nequeunt interire; qua na-

naturae se ipsis subsistentes idmodi gaudent perfectionibus, quae continuo perdurant, et infinitarum sunt seculorum; qua entia rationalia tendunt ad perpetuum incrementum, atque indesinente in Perfectione progressum: Natura sufficientem ipsis pro hoc incremento ac progressu subministrat materiem; et qua supremus Creationis scopus nequeunt aliis finibus postponi, atque ideo in progressu et possessione suarum perfectionum ex proposito inturbari. An illud Sapientiam decuisse putemus, ut Mundum aliquem ideo producat, ut Spiritus, quos in eodem collacavit, ejusdem mirabilia contemplentur ac beati sint; mox autem, post momentum temporis, iisdem Spiritibus ipsam hanc contemplandi, sicque semet beatos reddendi facultatem in aeternum subtrahat? An illud Sapientiae conforme existimemus, ut quandam Felicitatis umbram, quae continuo oriatur, continuo pereat, pro ultimo mirabilium operum suorum scopo praefixerit? O Amici mei! hoc equidem minime omnium: haud incassum indidit nobis Providentia quandam perpetuae Felicitatis desiderium;

potest ac debet eidem satisfieri. Scopus Creationis tamdiu perdurat, quamdiu ipsa Creatio; divinarum perfectionum admiratores tamdiu, quamdiu illud ipsum opus, in quo perfectiones istae sunt visibles. Quemadmodum his in terris Mundi Rectori famulamur, dum facultates nostras evolvimus; ita etiam in vita futura sub divina Ejusdem protectione et tutela continuaturi sumus, in virtute et sapientia nosmetipsos exercere, indefinenter perfectiores et aptiores reddere ad divinarum intentionum seriem adimplendam, quae sepe a nobis in infinitum usque extendit. In hac vita uspiam subsistere, manifeste repugnat divinae Sapientiae, Bonitati, Omnipotentiae; et tam parum poterat ab Ente illo perfectissimo in Planis universalis decreto probari, quam extrema quaedam innocentium creaturarum calamitas.

Quam deploranda est ejusmodi Hominis fors, qui se ipsum per infastata quae piam sophismata solatioosa illa futurae vitae expectatione privavit! Non potest ille fortis suae meminisse, sed in quadam

ve-

veluti fascinatione animi vitam debet tolerare suam, et — desperare! Quid potest Animae humanae horrendum magis accidere, quam adnihilatio? et quid miseriū homine tali, qui eandem citato cursu sibi videt adpropinquare; atque metu quodam omnī omnino spei experīte, quo ipsam praeſtolatur, eam jam in anteceſſum perſentiscere ſemet exiſtimat? In proſperitate voluptuosissimis etiam cogitationibus horrenda illa nonexistentiae memoria ſeſe iñſinuat, velut intra flores vipera, atque dulcem caeteroquin vitae ipſius fruitionem veneno conſpergit funeſtissimo. In adverſitate totum hominem ſpe omni deſtitutum humi proſternit; nam et unicum illud ſolatium, quod ejus calamitatem aliquomodo adhuc lenire poſſet, videlicet ſpem vitae futurae, ipſi reddit acerbum. Profecto idea illa instantis adnihilationis adeo repugnat naturae Animae humanae, ut ipsam nulla ratione cum proximis ſuis ſequelis combinare poſſimus; ſed in mille absurditates ac contradictiones, quaqua demum nos converteamus, prolabi neceſſum habeamus. Quid eſt, quaefo, vita humana cum omnibus

nibus adversitatibus suis, praesertim si pauca illa voluptatum momenta continuo illo inevitabilis adnihilationis horrore interrumpantur? Quid est hesterni hodier-
nique duratio, quae in crastinum non est perstituta? Minutia suminopere de-
spicienda! quae nobis conatus, labores,
sollicitudines, et difficultates illas, qui-
bus eandem nobis comparamus, pessima
remuneratur usura. Et tamen illi, qui
nihil ea melius sperandum habet, minu-
tia ista omnem circumscribit ipsius the-
saurum. Secundum ipsius systema prae-
sens existentia illi foret summum Bonum,
cui in hoc mundo nihil queat aequipara-
ri: vita quantumvis dolorosissima, affi-
ctissima, infinitis gradibus esset praeferenda morti, qua perfectae totius essen-
tiae ac existentiae ipsius adnihilationi:
ipsius desiderium vitae nulla omnino re-
posset superari. Quod motivum, quae
consideratio foret potens satis, ipsum
vel in minimum quodpiam vitae discri-
men adducendi? Honor et Fama? um-
brae hae evanescunt, dum de realibus
Boni sermo est, quae cum iis in compa-
rationem venire oporteat. Concernit ^{fē-}
^{lici-}

licitatem suarum prolium, suorum agnatorum, suorum familiarium, suae Patriae? — et si universi etiam generis humani felicitatem promoveret; ipsi vilissima paucorum momentorum fruitio omne illud est, quod adhuc sibi unquam polliceri potest; adeoque res summi prorsus momenti: quomodo potest igitur manifesto eam exponere periculo? Quod in discrimen conjicit, cum eo, quod impetrare sperat, in nullam potest venire comparationem; vita enim, secundum idmodi Sophistarum opinionem, in comparatione reliquorum Bonorum omnium est Bonum infinite magnum.

Annon autem fuere jam idmodi Heriores Spiritus, qui absque eo, ut de immortalitate sua fuissent convicti, pro jure Humanitatis, pro Libertate, pro Virtute et Veritate vitam suam consecraverant? Fuere certe! quin multo minus honestis de causis vitam suam aleae exposuerunt. Verum citra dubium ipsis ad simile quid audendum ipsorum Cor, non autem Ratio calcar addiderat. Quin ipsi animadverterint, per ejusmodi actionem propria sua

sua principia pernagabant. Qui vitam futuram sperat, suaequa existentiae scopum in continua ad Perfectionem progressionem collocat, ille hisce circiter verbis sibimet ipsis stimulos addere potest: Vide! eum tu in finem isthuc locorum positus es, ut per Boni promotionem te ipsum reddas perfectiorem; licitum igitur tibi est, Bonum, si alia nequit ratione obtineri, ipso vitae tuae dispendio promovere. Si Tyrannis Patriae tuae minatur exitium, si periculum instat, ut supprimatur Justitia, affligatur Virtus, persecutionem patiatur Religio et Veritas, age, maete animo, converte vitam tuam in usum illum, in quem tibi concessa est; morere, ut humano generi pretiosa haec ad Felicitatem media conserves! Meritum illud, quod cum tanta tui abnegatione Bonum promoveris, infinitum addit essentiae tuae valorem, qui perinde etiam infinitae futurus est durationis. Quamprimum id mihi mors praestat, quod praestare vita nequit, eo ipso officii mei, meaeque vocationis est, ut conformiter destinationi meae mortem obeam. Non nisi tunc potest determinari vitae pretium;

et cum aliis Bonis in comparationem trahi, cum eandem qua medium ad Felicitatem consideramus: quamprimum autem cum vita ipsam quoque existentiam nostram amittimus, cessat illico purum putum esse medium, sed scopus efficitur, ultimus omnium votorum nostrorum finis, summum Bonum, ad quod tendere unquam possumus; quod propter se ipsum quaeritur, diligitur, desideratur; cui nullum hujus mundi Bonum comparari, multo vero minus praeferri potest; omnes quippe considerationes alias superat gravitate sua. Unde nulla prorsus ratione valeo meum inducere animum, ut credam, Hominem, cui cum vita pereunt omnia, semet, secundum haec principia, saluti Patriae, aut totius humani generis emolumento consecrare posse: sed ejus potius sum sententiae, quod, quotiescumque e. g. salus Patriae inevitabiliter exposcit, ut Civis aliquis vitam suam perdat, aut saltem eandem perdendi periculo sese exponat, in hoc supposito bellum inter Patriam et Civem istum oriri oporteat, et quidem, quod omnium ratiissimum est, bellum ejusmodi, quod ex
utra-

utraque parte sit justum, Annon enim jus habet Patria ab unoquoque civium pascendi illud, ut semet pro Totius salute victimam offerat? quis hoc negaverit? Verum iste quoque Civis jus habet priori e diametro opositum, quamprimum vita ipsius summum etiam ipsius Bonum est. Potest, audet, imo secundum haec principia obligatur id ipsum agere, Patriae suae interitum quaerere, ut pretiosissimam vitam suam ad dies aliquot prolonget. Secundum hanc hypothesin cuilibet enti morali competit jus, universi orbis existium causandi, modo vitam, sive existentiam suam sustinere queat. Eodem jure gaudent caetera quoque ejusdem generis entia omnia. Quam universalis isthaec rebellio! quanta conturbatio in mundo morali! Bellum, quod ex utraque parte justum est; bellum universale omnium entium moralium, ubi unumquodque ens justum rectumque ex sua parte habet; his ejusmodi, ubi in et per se a justissimo quocunque hujus mundi judice aequum et justum in nullam partem valet decidi! quid hoc potest esse absurdius?

Si omnes illas opiniones, de quibus unquam lis erat aut dubium inter homines, coram throno Veritatis in tribunal oporteret adduci; quid vobis videtur, Amici! annon Deitas ista illico decidere, et irrevocabiliter statuere posset, quae propositio vera, quae falsa sit, et erronea? Citra controversiam! nam in regno Veritatis non datur ullum dubitare, ullum videri, ullum putare, ullum opinari; sed omne decisive verum, vel decisive erroneum ac falsum. Et illud quoque mihi nemo negaverit, quod ejusmodi sententiam, quae subsistere nequit, nisi forte in ipsa regione Veritatum contradictiones, irresolubilia dubia, aut non decidendas incertitudines admittamus, necessario falsam esse oporteat: nam in hac regione praedominatur Harmonia omnium perfectissima, quae per nihil unquam interrumpi aut perturbari potest. Jam autem perinde se res habet cum Justitia: coram throno ipsius omnes lites et dissensiones super justo et injusto secundum aeternas et immutabiles leges deciduntur. Hic nullus casus juris incertus est, aut sub lite adhuc; hic nul-

lac

iae praerogative sub dubio; hic non est reperire duo entia moralia, quae ad unam eandemque rem aequale jus haberent. Omnes hae debilitates et ignorantiae Haereditas sunt Hominis certis Intellectus ac Rationis limitibus circumscripti, qui motiva pro et contra pugnantia non ea, qua oporteret, exactitudine perspicere, aut aquilibrare valet. In Intellectu Spiritus Altissimi, prout Veritates omnes, ita etiam omnia entium moralium jura et officia in perfectissima subsistunt harmonia. Omnes obligationum lites, omnes officiorum collisiones, quae enti limitato dubium aut suspicionem movere possunt, isthic irrevocabilem decisionem suam nanciscuntur: atque in oculis Dei Juris contrarii aequalitas nihilo minus absurdum est, quam propositio et oppositio, quam esse et non esse, quorum videlicet utrumque uno eodemque tempore deberet uni eidemque convenire subiecto. — Quid igitur de idmodi sentiendum putemus opinione, quae per solidissima corollaria tandem ad tam male cohaerentes et absurdas ideas perducit?

O 4 possitne

possitne illa coram throno Veritatis rata
haberi?

Amicus meus Crito nuperrime die-
rum nolebat mihi ea in re praebere af-
fensem, quod Reipublicae ac Legibus id
debeam, ut memet poenae subjiciam,
quae mihi dictata erat. Si mihi mens
eius probe perspecta est, ea solum de
causa mihi contradixisse videtur, quod
latam adversus me sententiam iniquam
reputaret. Siquidem nosset, me reapse
culpae illius memet fecisse reum, cuius
apud Judices incusabar; profecto non
dubitaret Reipublicae jus competere, me
ipsa morte plectendi; mihiique incumbere,
ut aequo hanc mortis poenam feram ani-
mo. Juri agendi semper conjungitur ob-
ligatio patiendi. Si Respublica, prout
quaelibet alia moralis persona, jure gau-
det puniendi illum, qui ipsam offendit *),
et,

*) *Jus Retorsionis*, sive offensam per illatio-
nem malorum physicorum rependendi, etiam
in statu naturali locum habet, et non fun-
datur, prout Philosophorum nonnulli asse-
runt, in pacto sociali, neque dependet a

et, si levioribus poenis fieri nequeat, ipsa
etiam morte afficiendi: etiam persona

O 5 offen-

recepto jure proprietatis. Homo etiam in
statu naturali obligatur pro sua conservatio-
ne, sanitate, et perfectione curam gerere,
gaudetque jure, licitis hunc in finem me-
diis utendi. Adeoque permisum ipsi est,
alios quoque cohibere, ne ipsi in innocentia
hujus juris exercitio sint impedimento. Ha-
bet igitur jus perfectum, ab unoquoque alio
exigendi hoc, ut ipsum non offendat; et
denique ad ulteriorem aliquam offensionem
avertendam jus quoque habet Retorsione, si-
ve poena utendi. Gradus autem poenarum
determinantur secundum intentionem offen-
sionis, et potissimum secundum probabilita-
tem, quod sufficietrae sint ad defendendum
contra injurias. Unde etiam mortis poenae
sunt de jure, si leviores poenae ad id non
sufficient. Qui mihi in statu insocialis na-
turae casam meam destruit, aquam meam
conturbat, aut plane lapide me impedit, ut
me vulneret, eum ego jus puniendi habeo,
tametsi nullum adhuc jus proprietatis sit
introductum, nec praefitus sit in ullum pa-
ctum sociale consensus. Neque illud mihi
quis negaverit, quod quilibet Status jus
habeat, extraneum aliquem, qui ipsum of-

fen-

offendens secundum rigorem Justitiae obligata esse debet ad ferendam aequo animo poenam. Absque passiva hac obligatione foret Jus illud tonus quidam vacuus, aut voces sensu et significatione carentes. Quemadmodum in mundo physico non datur actio absque passione; ita nec in mundo morali potest cogitari Jus ullum ad personam absque obligatione ex parte ejusdem personae. *) Non dubito,

Amici

fendit, puniendi, licet ille nullum adhuc pactum sociale cum Statu illo iniverit. Imo vero ipsi Status inter se jus puniendi sibi invicem tribuunt, quamvis saepius in statu naturae sibi invicem convivant.

*) *Jus Majoritatis*, sive *Fortioris*, non potest ullum in regno Veritatis dirimere Juris causum. *Vis* et *Jus* sunt ideae tam diversae naturae, ut *Vis* tam parum queat generare *Jus*, quam parum *Jus* valet generare *Vim*. *Jus* ex una parte, citra obligationem ex parte altera, deberet per *Vim* decidi; hoc autem prorsus absurdum est. Si Parentes perfectum jus habent obedientiam exigendi a Prolibus; tum hae ex parte sua obligationem habere debent, Parentibus obedientiam

prae-

Amici mei! quin *Crito*, vosque omnes ejusdem mecum sitis sententiae. Verum non possumus nos ita sentire, si Vita nostra omne Bonum nostrum est. Secundum erroneam hanc opinionem sceleratissimo licet Legum praevaricatori non incumberet obligatio meritam perferendi poenam; sed potius, dum Respublica de ipso poenam sumere cogitat, obligabitur ipse, Patriam, quac ipsum interimere vult, internecione delere. Quod factum est, infestum fieri nequit. Vita est summum ipsius Bonum. Quomodo potest igitur huic praeferre Bonum Reipublicae? quomodo potest illi idmodi officium praescribere Natura, quod non tendit ad summum ipsius Bonum? quomodo potest esse obligatus ad id agendum aut patientium,

praestandi. Si Proles jus habent, donec se ipsas intertenendi capaces fiant, sustentationem suam exigendi a Parentibus; tum incumbet Parentibus, ut prolium suarum curam gerant. Nam juri imperfecto ex parte una respondet obligatio pariter imperfecta ex parte altera. Qui in Juris Naturae principiis vel leviter versatus est, nequit hasce propositiones revocare in dubium.

dum, quod toti ipsius Felicitati repugnat? *) — Erit igitur licitum illi, imo vero obligabitur etiam, Statum sive Republicanam flamma ferroque conturbare, si suam hac ratione vitam in salvo potuerit collocare. Unde autem Scelus iste tantam potuit adipisci licentiam? Antequam delictum poena dignum perpetrasset, erat, qua Homo, obligatus, salutem hominum, qua Civis, salutem suorum Concivium promovere: quid illum nunc obligatione ista liberavit, atque oppositum eidem jus tribuit, cuncta circum se depopulandi? Quae causa hujus officiorum suorum permutationis? Quis est, qui responde-re praesumat: *Ipsum illud delictum, quod perpetravit!*

Alia

*) Cuncta Hominis officia, quae ipsi Natura praescribit, debent *Summum Bonum* pro fine ac scopo suo habere. Si summum Bonum nostrum est Felicitas; officium jubere potest, Vitam ipsam Felicitati postponere: si autem Vita ipsa est Summum Bonum, nullum nos adigere potest officium, ut Vitam ipsam perdamus.

Alia non minus infelix hujus opinio-
nis sequela est, quod ipsius sectatores
tandem eo etiam redigantur, ut divinam
pernegerint Providentiam. Postquam, ex
illorum sententia, vita humana arctis illis
a nativitate ad mortem comprehensa est
limitibus, facili negotio integrum ejus-
dem cursum suis oculis persequi et perva-
dere possunt. Non sunt igitur sufficienti
cognitione destituti, quin de viis Provi-
dentiae, siquae dantur, ipsimet rectum
queant ferre judicium. Jam autem in
omnibus hujus mundi casibus et eventi-
bus nihil certe reperient, quod manifeste
contradiceret ideae illi, quam de proprieta-
tibus divinis nobis ipsis formare debe-
mus. Hoc repugnat illius Clementiae,
illud ipsius Justitiae, et nonnunquam vi-
deri posset, quod fors humana ab ejus-
modi causa sit ordinata, quae in Malo
voluptatem repererit. In physicis Homi-
nis partibus merum ordinem, pulchritu-
dinem, harmoniam, intentiones sapien-
tissimas, atque perfectissimam mediorum
cum finibus concordantiam detegunt: me-
ra nempe visibilia divinae Sapientiae ac
Clementiae argumenta. Verum in socia-
li

li ac morali Hominum vita, quantum quidem mediocritate nostra in his terris valemus assequi, divinarum harum proprietatum vestigia prorsus sunt incognoscibilia. Triumphantia scelera, coronata maleficia, Innocentiae persecutio, Virtutis suppressio, nihil saltem rari sunt in vita morali: innocentes et justi non patiuntur rarius, quam malefici; tam crebro succedit Despotismus, quam sapientissima Legislatio; et bellum injustum tam feliciter, quam monstrorum extirratio, aut quisunque alias labor beneficus, qui in summum cedit humani generis emolumentum. Fortuna et infortunium bonos pariter tangit, et malos, absque notabili differentia; debentque hisce saltē Sophistis, citra ullum Virtutis et Meriti respectum, inter homines distributa videri. Si sapiens, benignum, justumque Ens aliquod fortis humanae curam gerret, atque secundum Beneplacitum suum cum eadem disponeret; annon idem in morali quoque mundo praedominaretur ordo, quem in physico tantopere admiramus?

Posset

Posset quidem nonnemo hanc forma-
re objectionem: " Querelae istae non nisi
,, ab inquietis idmodi animis proveniunt,
,, quibus nec Deus, nec homines unquam
,, satis valent facere. Adimplete omnia
,, ipsorum vota; ponite ipsos ad apicem
,, Felicitatis; semper tamen reperient in
,, intimis cordis sui penetralibus contu-
,, maciam adhuc aliquam, atque rationem
,, sufficientem contra ipsos Benefactores
,, suos conquerendi. In oculis hominis
,, pacati ac temperantis Bona hujus mun-
,, di non sunt adeo inaequaliter distribu-
,, ta, prout vulgo creditur. Virtus ple-
,, rumque internam quandam tranquilli-
,, tatem sibi habet sociam, quae dulcius
,, ipsi praemium est, quam fortuna, ho-
,, nor, et divitiae. Suppressa Innocen-
,, tia forsitan rarissime locum sortemque
,, tyranni sui, qui in ipsius collum pe-
,, dem figit, cum loco sorteque sua vel-
,, let commutare: nam fascinantem illam
,, humanos oculos fortunam per internas
,, inquietudines caro admodum pretio
,, effet redempturus. Generatim, qui ad
,, affectiones hominum paulo attentius,
,, quam ad eorundem **praejudicia**, ad-

" ver.

„ vertit animum , ille sortem illorum
„ multo minus deplorandam reperiet ,
„ quam ipsi in vulgaribus sermonibus ac
„ conversationibus suis eandem sibimet
„ effingant . “ Ita , inquam , posset unus
aliquis objicere , ut sapientis cuiuspiam
in Natura Providentiae vias salvare queat .
Verum omnia haec argumenta nonnisi
tunc vim roburque haberent suum , si
cum hac vita non omnia etiam essent
cessatura , si spes nostrae in infinitum
usque sese coram nobis extenderent .
In hoc casu potest , imo debet nobis Fe-
licitas nostra longe majoris esse momenti ,
si in his terris cum adversitatibus collu-
ctamur , si patientiam , constantiam , at-
que plenam in divinam voluntatem re-
signationem discimus et exercemus , quam
si in fortuna et affluentia rerum nosmet
ipso obliviscamur . Quid demum est ,
etiam si vitam inter mille tormenta finiam ?
modo Anima mea per hoc patientis In-
nocentiae pulchritudinem sit adepta , re-
munerationem suam pro omnibus crucia-
tibus suis cum foenore recepit . Dolor
est transitorius , praemium autem durati-
onis aeternae . Verum quid ille lucri
fe-

fecit, qui inter cruciatus istos omnem
 suam existentiam perdit? qui cum ultimo
 suo anhelitu omnes etiam Spiritus sui
 pulchritudines elabi sinit, quas per hanc
 ipsam pugnam sibi comparavit? annon
 crudelem dicamus ejusmodi hominis for-
 tem? an ille justus potest, clemensque
 haberi, qui eandem ita ordinavit? —
 Et vero ponamus etiam, quod propriae
 innocentiae conscientia pro cunctis illis
 cruciatibus, atque ipso etiam mortis do-
 lore, quem innocens e manibus sui per-
 secutoris percipit, sufficiens sibi ipsi sit
 praemium: an violentus ille divinarum
 humanarumque Legum praevaricator con-
 tinuo ita saevire pergit, quin unquam a
 coeca sua ac effraeni pertinacia, in qua
 vixerat, extrahatur, atque distinctiores
 de Bono et Malo nanciscatur ideas?
 quin animadvertat unquam, mundum
 hunc ab ejusmodi Ente gubernari, quod
 suam in Virtute reperit complacentiam?
 Siquidem nulla datur spes vitae futurae,
 tum enimvero tam parum contra sup-
 pressorem innocentiae, quam contra sup-
 pressam innocentiam poterit defendi Pro-
 videntia.

Infelici sane casu seducuntur multi per apparentes ejusmodi difficultates ad pernegandam Providentiam. Ens supremum, suspicantur illi, nulla prorsus ratione sollicitum est de sorte humana, licet summam pro physicae Naturae perfectione curam gesserit. Virtus et impietas, innocentia et delictum, qui ipsi fideliter servit, et qui ipsum blasphemat, ajunt illi, coram universali mundi hujus Rectore aequalis sunt perfectionis: et plures idmodi tam ridiculas, quam nefandas depromunt opiniones, in quas prolabi necessum est, utprimum a via Veritatis deflectitur. Superfluum existimo, Amici mei! de harum opinionum vanitate multa verba facere, postquam omnes certi sumus, quod sub divina protectione vivamus, atque Bonum ex ejusdem manibus, prout Malum non aliter, quam cum ipsius permissione, percipiamus.

At vero novimus nos securiorem aliquem, et faciliorum ex hac labyrintho reperire exitum. In oculis nostris tam parum negat Autoris sui perfectionem

Mo-

Morale, quam Physicum hujus universi.
 Quemadmodum in hoc mundo physico
 disordines in partibus, procellae, tem-
 pestates, terrae motus, inundationes,
 pestis, etc. sese in immensi Totius per-
 fectiones resolvunt; perinde etiam in
 mundo morali, in sorte et eventibus ho-
 minis socialis, omnes defectus tempora-
 les in perfectiones aeternas, atque pas-
 siones ipsae in meras idmodi exercitatio-
 nes, quae ad Beatitudinem necessariae
 sunt, commutantur. Ut vel unius ho-
 minis sortem debita in luce contemple-
 mur, necessum foret, ut eandem per
 omnem aeternitatem suam pavidere pos-
 semus. Tunc primum valeremus vias Pro-
 videntiae perscrutari, atque rectum de iis-
 dem ferre judicium, postquam perpetuam
 entis cuiuspiam rationalis perdurationem
 sub unicum, eumque debilitati nostrae
 accommodum conspectum redigere posse-
 mus. Verum tunc, credite Dilecti mi!
 tunc nec reprehensuri, nec murmuraturi,
 nec male contenti foremus, sed plena
 cum admiratione Supremi hujus mundi
 Rectoris Sapientiam ac Clementiam ve-
 neraremur, adoraremus.

Ex omnibus hisce motivis simul summis, Amici mei! exoritur certissima de futura quadam vita assecuratio, quae animum nostrum perfecte reddere valet tranquillum. Facultas sentiendi non est proprietas Corporis, et subtilissimae ejusdem conformatio-
nis; sed propriam suam se sola habet subsistentiam. Essentia hujus subsistentiae simplex est, adeoque minime transitoria. Perfectione quoque illa, quam simplex haec Substantia sibi comparaverat, respectu ipsius indesinentium debet esse sequalarum, ipsamque continuo aptiorem reddere, ad intentiones Dei in rerum natura adimplendas. Cumprimis autem Anima nostra, qua ens rationale, et ad perfectionem tendens, ad illud Spirituum genus pertinet, qui finem ac scopum Creationis in se ipsis complectuntur, nec cessant unquam divinorum operum contemplatores et admiratores esse. Principium existentiae ipsorum, prout videmus, est quaedam tendentia et progressio de uno Perfectionis gradu ad alium; essentia ipsorum indesidentis capax est incrementi; stimulus ipsorum manifestam habet in se habilitatem ac basin

ad

ad infinitudinem; Natura quoque nunquam extinguae ipsorum siti inexhaustibilem subministrat scaturiginem. Porro habent illi quoddam, qua entia moralia, officiorum ac jurium sistema, quod absurditatibus ac contradictionibus esset refertissimum, si in via Perfectionis impediari, aut plane retrudi etiam eosdem unquam oporteret. Et demum ducit nos apparens iste in sorte humana disordo et injustitia ad longam aliquam sequelarum feriem, in qua cuncta alia sese evolvunt, quae nobis isthic intricata et perplexa videntur. Qui hac in terra forti animo, et quasi ad Fati invidiam, sua adimpler officia, omnesque adversitates cum plena in divinam voluntatem resignatione perfert, debet tandem suarum virtutum praemia percipere; atque ipse sceleratus etiam nequit ita isthinc discedere, quin hac vel illa ratione ad cognitionem illam perducatur, quod maleficia non sternant viam ad Felicitatem. Verbo: omnibus proprietatibus Dei, Sapientiae, Clementiae, Justitiae repugnaret, si entia rationalia, et ad Perfectionem tendentia non-

nisi ad temporalem aliquam existentiae durationem essent procreata.

Dicere jam posset unus vestrum alius : “ Bene quidem, mi Socrates ! per-
,, suasum abs te jam habemus animum,
,, quod spe vitae futurae haudquaquam
,, inani laboremus ; verum dic nobis il-
,, lud etiam , quo vita hac defuncti
,, Spiritus deinceps commoraturi sunt lo-
,, co ? quas Aëris incolent regiones ?
,, quibus sese occupabunt rebus ? qua
,, ratione percipient Virtutis cultores
,, praemia ? quave improbi ad meliorem
,, perducentur cognitionem ?

Siquis ista ex me quaerat, eidem sic repono : Amice mi ! amplius quid tu
abs me postulas, quam quod virium mea-
rum , meaeque sit vocationis. Perdixi
ego te per sinuosos quosvis Labyrinthe
flexus, et ecce ! exitum tibi quoque lu-
bens aperio. Hic limes est, hic vocatio-
nis meae terminus. Alii te viae duces
ultra , per me licet , ducant. Utrum
impiorum animae gelu vel aestu , fame
vel siti torqueantur ; utrum in acherusiis

paludibus sese volutare, in obscuro taro, aut in flammis Pyriphlegetontis tempus suum transigere debeant, donec purificantur; utrum Beati in terra quadam, auro gemmisque coruscante, puriorum coeli auram spirent; aut vero in perennantis Adolescentiae gremio requiescentes nectare et ambrosia pabulentur; haec omnia, Amice mi! — nescio. Si Poëtae, fabularumque scriptores vestri ista norunt, alios quoque, per me licet, reddant certiores. Non obest forsitan, si certorum quorundam hominum imaginandi vis idmodi rebus occupetur et intendatur. Me quod attinet, sufficit mihi certitudo illa, quod aeternum sub divina protectione permaneam; quod divina ejus ac justa Providentia, prout in hac, ita etiam in illa vita de me disponat; et quod vera Beatitudo mea in multiplici Spiritus mei pulchritudine ac perfectione consistat; videlicet in Temperantia, Justitia, Libertate, Amore, Benevolentia, Agnitione Dei, ejusdemque intentionum promotione, atque perfecta in divinam ipsius voluntatem resignatione. Beatitudines istae me manent in vita illa futu-

ra, quo nunc propero; plus autem scire me non oportet, ut laeto animo viam ingrediar, quae me ad ipsam perducit. Vos, Simmia, Cebes, caeterique Amici mei, vos me sequemini, suo unusquisque tempore. Provocat me jam *immobile Fatum*, prout tragicus aliquis Poëta se forsitan exprimere posset. Tempus est, ut balneum ingrediar; decentius quippe fore existimo, post balneum venenum sumere, ut mulieribus cadaver meum post mortem lavandi fatigium lucrificiam.

Finiente sermonem suum Socrate, *Crito* ad eum conversus, *Esto igitur!* altum ingeminabat. Verum quid tu hisce Amicis tuis, aut mihi etiam, in mandatis dandum habes adhuc, quod proles tuas, aut domesticas necessitates concernat? qua tibi in re complacere adhuc poterimus, dum vitam isthic vixerimus?

— Ad haec *Socrates*: Si ita vixeritis, prout vobis jam dudum commendaveram. His quod addam, nihil novi habeo. Si vos vobismetipsis curae estis, procul dubio mihi, meis, vobisque ipsis solatio ac voluptati fueritis; etiam si nihil horum

pro-

promittitis, sed vosmetipos negligitis, atque iis, quae vobis hodie et praegressis temporibus prae signavi, vestigiis insistere recusatis, quantumlibet demum promittatis etiam, nihil quidquam vobis proderit. — Cui reposuit *Crito*: Noli dubitare, mi *Socrates*! nos omnes posthac vires et industriam nostram adhibituri sumus, ut tibi in cunctis morem geramus. Verum quid post mortem tuam tecum per nos actum desideras? — Quidquid vobis libuerit, respondit *Socrates*, modo me adhuc tenueritis, neque ego vobis prius effugiam. Tum subridendo nos intuitus: denique non sufficio ego, ajebat, *Critonem* de eo persuasum reddere, quod ille idem reapse sit *Socrates*, qui nunc loquitur, quique nunc per tempus aliquod familiares vobiscum sermones miscuit: semper ille sibi adhuc persuasum habet, quod cadaver illud, quod propediem visurus est, quodque nunc ad tempus aliquod nonnisi involucrum meum est, illud ipsum sit *Socrates*; quaeriturque, quomodo me tradere debeat sepulturae. Omnia argumenta illa, quae hucusque in medium protuli, ut manifestum facerem, me, ut-

primum in corpus meum venenum egerit, non amplius apud vos permansurum, sed in mansiones Beatorum reponendum esse, videntur illi mera idmodi esse inventa, quibus ego vos, meque ipsum adhuc consolari voluissem. Agite, Amici mei! praestate mihi hanc gratiam, et vades vos nunc apud Critonem pro me, velut ipse semet apud Judices interposuerat, interponite. Sed modo contrario: ille namque promiserat, me non prehensurum fugam; vos vero adpromittite illi, quod post mortem meam dilapsurus sim illico, ut cadaver meum igni cremari, aut in terram conjici videre queat; neque suum ea cogitatione affligat animum, quod mihi nescio quid infelicitatis obtigerit. Non dicat ille, dum mihi parentabitur: ecce! *Socrates* tumbae imponitur; ecce! effertur *Socrates*; ecce! sepelitur *Socrates*. Nam, pergebat ille porro, neveris tu, chare mi *Crito*! sermones ejusmodi non modo repugnare Veritati, sed resoluto etiam vinculis suis Spiritui in non mediocrem cedere contumeliam. Maestis animo potius, et dicitur: Sepeliatur cadaver *Socratis*. Caeterum,

qua

quo tibi lubet, quo ve per Leges licuerit, loco illud sepeli. His dictis in proximum cubile semet lavaturus concesserat. Crito sequebatur ipsum, nos autem redditum suum praestolari jubebat. Mansimus nos, atque partim iis, quae audiavimus, repetendis, expendendis, ac examinandis quibusdam, quae nos sufficienter convincerent, argumentis tempus insumisimus; partim vero tristissima illa instantis infortunii nostri exspectatione occupabamur. Non enim aliter nobis cordi fuerat, quam si Patrem nostrum perdituri, atque ab hoc inde tempore, qua pupilli, in hoc mundo victuri essemus. Egressus e balneo a suis prolibus (habuit ille tres, duas minorennes, unamque jam adultam) atque domesticis mulieribus suis supremum salutatus est. Cum his ille, praesente Critone, collocutus est aliquamdiu, atque dicenda dixerat; tandem mulieres prolesque discedere jubens ad nos redierat. Erat jam prope solis occasum; nam in balnei cubiculo aliquanto diutius commoratus est. Mox confedit, sed parum admodum loquebatur: nam paulo post a Triumviris satelles aderat, ipsum-

ipsumque proprius accedens, o Socrates !
inquietabat, longe aliud quidpiam ego in
te experior, quam in aliis, qui ad mor-
tem damnati sunt, expertus sim unquam.
Solent illi reluctari, me contumeliis im-
petere, dum ipsis superiorum jussu ad-
nuntio, aedesse tempus, quo venenum
hauriant: Tu autem jam alias eorum
omnium, qui locum hunc ingressi sunt
unquam, pacatissimus ac mansuetissimus
Vir mihi visus est; nunc vero cum primis
mihi talis videris. Certus sum, te nec
modo succensere mihi, sed iis duntaxat
(nōsti illos !) qui mortis tuae causa sunt,
indignari. Advertis ipse jam, mi Socra-
tes ! quid tibi nuntii ferendum habeam.
Vale, et sustine cum patientia, quod
mutari nequit. His dictis invertit se,
inque lachrymas solutus est. Socrates re-
spiciens eum, Tu quoque, Amice mi !
ajebat, vale; nec dubita facturum me,
quod postulasti. Ad nos autem conver-
sus dicebat: quam praeclarus est Vir
iste ! saepius ille ad me invisebat, me-
cumque interdum semet distraxerat: est
ille recti cordis, honestique animi ho-
mo ; videte modo, quam sinceras mei
causa

causa fundat lachrymas! Verum, *Crito!*
reapse parendum habemus illi; jube, si
paratum est, adferri venenum; fin autem,
fac, iste illud quantocysus praeparet.

Cur ita properas? mi *Socrates!* re-
ponebat *Crito;* videtur mihi Sol nondum
occubuisse, montiumque adhuc irradiare
cacumina. Alii post indictam sibi fatalis
horae praesentiam longas adhuc necesse
solent moras, antequam venenum hau-
riant; ad haec indulgere genio, laute co-
medere, affatim bibere, imo Veneri li-
tare etiam. Nobis quoque sat longas ad-
huc licet trahere moras. — Hoc equidem
faxint ii, reposuit *Socrates,* quibus quae-
libet mora pro lucro reputatur; mihi au-
tem meae non desunt rationes, cur his
contrarium agam. Ego nihil me lucri fa-
cturum existimo, si retardare mortem ve-
lim; et certe mihi ipse ridiculus viderer,
si cum vita avaritiam exercearem, quae
non amplius mea est. Fac igitur volun-
tati meae satis, nec me ultra morari
perge.

Tum

Tum *Crito* signum dabant pueri, qui
ipsi adstiterat. Exibat ille, tempusque
aliquod parando veneno insumserat; mox
adduxit virum, qui veneni poculum ma-
nu gerebat, ut *Socrati* id ipsum porrige-
ret. *Socrates* viso illo ajebat: Bone Vir!
cedo huc poculum! Verum quid facto
opus habeam, tu noveris. Nihil aliud,
reponebat ille, quam ut inde a sumto
veneno deambules, donec tui laba-
scant pedes; tum vero lecto incum-
bas. Hoc totum est. Quo dicto eidem
porrexit poculum. *Socrates* illud manu
prehendit, chare *Echecrates!* tanta cum
modestia, citra tremorem, citra vel le-
vissimam coloris vultusque lineamento-
rum permutationem! hominemque dilata-
tis suis fixe intuitus oculis, quid tibi vi-
detur? inquietabat, licetne guttas aliquot
Diis immortalibus in tesseram gratitudi-
nis effundere? Nihilo plus continet po-
culum, quam quod necessarium fuerit;
reponebat iste. Maneant igitur, ajebat
Socrates: verumtamen preces aliquas ad
eosdem dirigere licebit mihi: Qui me vo-
catis, o Di! felix iter mihi concedite! Quo
dicto

dicto labiis admovit poculum, et tranquillus modestusque exhausit integrum.

Ad hoc usque tempus multi nostrum suis adhuc poterant temperare lachrymis; at vero videntes eum labiis admovere poculum, — haurire, — exhaustire, — tum jam fuerat impossibile! Mihi ipsi non jam stillabant, sed torrentis instar proruebant lachrymae; vultumque meum pallio obvolvere me oportuit, ut libere fiere valuerim, non illius, sed mei ipsius causa, quod me tangeret infelicitas tantum perdendi Amicum! Crito, qui adhuc ante me nequivit sibi temperare a lachrymis, surrexit, atque oberravit in carcere: Apollodorus autem, qui omne fere jam tempus flendo insumserat, tunc altum ingeminare coepit, et ejulare, ut corda nostra propemodum infringerentur. Solus Socrates immotus perstigit, nosque hisce verbis increpabat: Quid agitis? pusillanimes! ideo ego nunc abegi mulieres, ne mihi planctibus et lamentis suis graves acciderent; saepe mihi quippe dictum erat,

erat, oportere nos inter benedictiones,
votaque prospera agere Animam. Estote
tranquilli, atque Viros vos ostendite! —
Dum haec audiremus, puduit nos nostri,
atque a flendo destitimus. Obambulabat
ille, donec ipsi pedes labascerent; tum
leuctulo suo incubuit, prout ipsi servus
suaserat. Paulo post vir ille, qui ei ve-
nenum porrexerat, quaquamversum mani-
bus ipsum contrectabat, et cumprimis
manus lumbosque ipsius observabat. Pres-
so aliquantum pede quaerebat ex ipso,
num id ipsum persentisceret? Non; re-
ponebat ipse. Mox crus eidem presser-
rat; sed remisit illico, nobis indicans,
frigidum jam, rigidumque esse ipsum.
Contrectabat illum denuo, dicens: ut-
primum cor ipsius attigerit, exspirabit.
Jam abdomen frigescebat. Tum Socrates
tegumentum removens (nam contegeba-
tur ipse) Critoni haec, quae postrema
erant ipsius verba, locutus est: *Amice! noli
oblivisci, Deo Sanitatis gallum gallinaceum**)
offer-


*) Veniam dabunt Critici, quod germanicum
Sahn in gallum gallinaceum, et non pure
in

offerre; nam uno illi tenemur. — *Crito re-*
posuit: Fiet! verum nihilne amplius,
quod mandes, tibi est reliquum? — *Ad*
haec nulla sequebatur responsio. Post
tempus aliquod convulsionibus corripi
cooperat. Tum vir ille integrum corpus
detegebatur, — ast oculi ipsius jam rigidi
perstitere! Quod dum videret *Crito*, os
oculosque ipsius compresserat.

Atque iste fuerat Amici nostri finis,
o Echecrates! Viri illius, qui inter omnes,
quos unquam novimus, Homines citra
controversiam Sapientissimus, Justissimus,
atque Consummatissimus erat.

F I N I S.

in *gallum* verterim; secutus quippe sum
textum graecum, et consuetudinem quoque
*Graecorum, qui *Deo Sanitatis ejusmodi gallu-**
m in victimam offerebant, qui actu cum
gallinis rem habuit; adeoque gallum galli-
naceum. Hoc quippe signum est Sanitatis,
quod cum gallinis coire valeat.



MOSIS MENDELSSOHN

*Animadversiones in Difficultates per Viros
quospiam Eruditos ipsi factas.*

Diversi Veritatis studiosi suas in superiores tres de Animae immortalitate dialogos animadversiones tam per familiare litterarum commercium, quam per scripta publica mihi notificare dignati sunt. Non paucas illarum in secunda hac editione mea in usum utilitatemque meam converteram: hinc inde permutabam, in quibusdam locis me clarius explicabam, nonnulla etiam notis illustrabam. Atque haec unica est gratiarum actio, quam dignissimi Viri isti abs me praestolantur. Verum cunctis illis, quae Arbitris hisce meis erronea videbantur, emendandis impar eram: partim, quod me argumenta ipsorum non convincerent; partim vero, quod eorundem postulata vires meas supergredierentur. Liceat mihi, super quasdam idmodi observationes mentem meam paulo distinctius explanare.

Generatim fateri me oportet, Arbitros meos respectu mei discretos fuisse potius, quam rigorosos. Nequeo ego de indigna aliqua reprehensione conqueri, forsitan potius de indignis quibusdam laudibus, quas revera excessivas etiam fuisse propria mihi dictat mei cognitio. Superflua laudatio communiter magis ad alios humiliandos tendit, quam ad calcar Laudis Objeto addendum. Nunquam ego meum induxi animum, ut epochas in Philosophia facere, aut proprio aliquo systemate celebrem me reddere voluisssem. Ubi in tritam aliquam offendō viam, ibi non quaero novam perfringere. Si Antecessores mei cuiusdam vocis significacionem ratam habuerunt, cur deberem ego ab eadem deflectere? Si Veritatem aliquam in lucem protrahebant, cur ego mesingam, ac si eam non viderem? Sectationis insimulatio non me moratur grato illud omne acceptare animo, cuius ego usum fructum percipere valeo. Fateor quidem ingenue, Sectationis Spiritum nimium quantum obfuisse Philosophiae incremento; mea tamen sententia, per Veritatis

tatis amorem facilius ille continetur infraeno, quam studium Novationis.

Dicor ego, in primo jam Dialogo, ubi tamen me Platonis vestigiis pressius inhaesisse afferro, Propositiones quasdam ex Wolfio et Baumgarteno absque demonstratione praesupposuisse, quas non quilibet Lector illico etiam ratas habet. — Quaenam sunt, quaeso, Propositiones istae? Forsitan, quod Vires Naturae continuo agant? Hanc ego sane Propositionem tam veterem esse existimo, quam ipsam Philosophiam. Illud inde a memoria notum est, quod *Ens agens*, sive *activum*, si non impediatur, actionem sibi proportionatam producat; et, si impedimentum reperiatur, in illud vicissim reactionem exerceat. Ergo nunquam quiescit. Vocabulum *) *agens*, vel *activum esse*, per quod Existentiam indicamus, non sine

Q 3

ra-

*) Würflich seyn in Germanico duplicem habet significationem, videlicet, *agens* sive *activum esse*, et: *realiter existere*. Unde in Germanico Vis Argumenti magis patet. Latet nempe in idiotismo.

ratione nobis eam quasi exhibet significationem, ut intelligeremus omne, quod existit, etiam eo ipso agens esse, id est, aliquid agere debere. Vis ejusmodi, quae non agit, est vis, quae non existit; nam *Potest*, *Valere*, et similia, sunt purae putatae possibilitates, ideae, quae prius non habent objectum, quam dum de viribus principalibus sermo est, in quantum nempe natura sua aliis quoque applicationibus non contrariantur. Sic e. g. dicimus de Viro quodam in negotiis posito; ille potest etiam Poëma condere, ille potentiam hanc possidet in gradu quodam excellenti. Ut iste loquendi modus verus sit, et proprius, hanc debet habere significationem: Facultates Animae hujus Viri, qui nunc in civilis cuiusdam officii administratione occupatur, non contrariantur ejusmodi etiam applicationi, per quam bona quoque Poëmata condi possent. Si de vi aliqua dicitur, quod in certa quadam occasione agat; tum quaestio est: et, si occasio ista desit, quid fit? — An tunc vis ista prorsus nihil agit? — Ergo in defectu et absentia hujus occasionis

nis est pura puta possiblitas agendi, et tamen pura puta possiblitas ista reapse etiam adsit? Occasio nonnisi applicationem virium potest mutare, cum applicatio ista non ab ipsis viribus, sed a nexu et relatione, in quibus cum aliis rebus est, dependeat: sed occasio nequit ullam vim excitare, quae cessavit agere; neque vim ullam adnibilare, quae reapse adest. Dum ergo dicitur: unaquaeque Vis debet continuo activa esse, se ipso intelligitur, quod de viribus principalibus sermo sit, et non de earum applicatione ad particulares objectorum species, per quam Habilites exoriuntur. Hae, quamvis aliquantum inpropre, nonnunquam etiam Vires nuncupantur: verum de ipsis manifestum est, quod ipsas non semper etiam activas esse oporteat; quod fit, prout jam antea attigimus, quotiescumque de vi principali concipi potest, quod natura sua ad certam objectorum speciem applicabilis quidem, sed non semper etiam applicata esse debeat. Sic possunt Speculatio apud dormientem, Vis inventandi apud aliquem externis negotiis occupatum, Facultas judicandi apud dementa-

tum quempiam, per tempus aliquod omnis prorsus actionis esse expertes: at vero Vis principalis, ex qua *Habilitates*, quas nonnunquam etiam *Vires* nuncupari diximus, nonnisi quaedam derivationes sunt, nihil minus est, quam expers actionis. Ideae istae adeo sanae Rationi sunt perspicuae, ut nulla opus habeant demonstratione: atque omnium aetatum Philosophos easdem habuisse oportuit; sed aliis nonnisi verbis semet interdum expresserant.

An illa forsitan Propositio Wolfiana est: *quod omne Permutabile ne uno quidem momento queat impermutatum persistere?* — Non equidem; nam PLATONIS opera idiomodi propositionibus sunt refertissima.
 „ Omnes res caducae, transitoriae, inquit Philosophus iste in *Theaeteto* aliisque locis quam plurimis, sunt in
 „ continua quadam formarum commutata-
 „ tione, nec ullo momento sibi ipsis per-
 „ sistunt similes aut aequales. „ Unde
 etiam nullam realem ipsis adscribit existentiam, sed quendam saltem exor-
 upositi-
 tum,

tum. *) " Non adsunt illae reapse, in-
,, quit ipse, sed exoriuntur continuo per
,, motum ac permutationem, pereuntque
,, continuo. " Istud unum est e praeci-
puis Doctrinae Platonicae principiis; at-
que huic superstruit suam de vera uni-
versalium inpermutabilium idearum exi-
stentia theoriam, suam inter scientiam
et opinionem differentiam, suam de Deo
et Beatitudine doctrinam, omnemque Phi-
losophiam.

Omnis Scholae Veterum hac propositio-
nione confirmando, aut refutando occu-
pabantur. Scimus similitudinem illam,
desumptam ab arbore, quae umbram suam
in praeterfluentem aquam projicit. Um-
bra semper una eademque esse videtur,
licet subjectum, cui imprimitur, conti-
nuo moveri pergit. Haud secus, in-
quiunt PLATONIS Sætatores, videntur

Q 5 nobis

**) PLOTINUS* ait: *Jam vero neque corpus omnino erit ullum, nisi animae vis extiterit.* Nam *fluit semper, et in motu ipsa corporis natura versatur*, citoque peritum est universum, si, quaecunque sunt, sint corpora.

nobis res constantiam et stabilitatem habere, tametsi in continua versentur permutatione. Quod sententias istas in *Wolfio* et *Baumgarteno* reperire sit, mirum non est; cum inde ab *Heracliti* et *Pythagorae* temporibus ab unoquoque Philosophero in examen vocari debuerint. Ego per totum opus antiquitatem sapuisse, nisi recentioribus quoque, quam ista sit, propositionibus opus habuisse.

Verum omnem ego demonstrationem meam in hac solum propositione fundare voluisse putor, quod *sentire*, *cogitare*, et *velle*, *solae et unicae sint actiones Animae*: quae tamen propositio extra scholam, cui ego adhaereo, rata non habetur. Imo vero, addit quidam Arbiter, etiamsi respectu Animae, qua *Animae*, admitti posset; non posset tamen de *Anima*, qua *Substantia*, asseverari. Qua *Substantia*, *praeterea* adhuc *moventem* et *resistentem* vim habere debet, quae cum *cogitante* nihil prorsus commune habet. Haec distinctio unam e praincipiis demonstracionibus meis funditus subruere putatur; nam potest post mortem *Anima*, qua

Sub-

*Substantia, activa persistere, quin, qua
Anima, sentiat, cogitet, ac velit.*

Videamus! Demonstratio mea, prout dicitur, innititur propositioni, quae vera non est; et ego? — ego existimo propositionem hanc veram esse, sed demonstrationem meam eidem haudquaquam inniti. Utrum Substantia non nisi unicam vim principalem, aut vero plures etiam habere queat; utrum *cogitare* et *velle* ex una, vel pluribus activitatibus principilibus profluant; utrum Anima corpus moveat, aut non moveat; utrum Anima post mortem omnis prorsus corporis expers futura sit; has pluresque cum his coincidentes quaestiones possum ego interim, qua nondum plene decisas, transmittere. Ego pro parte mea jam elegi; verum demonstrationes pro Immortalitate Animae aliis quaestionibus scholasticis, quantum quidem fieri potest, minime intermisceri debent. Potentiam, sive Vim Cogitandi et Volendi appello Animam; meaque demonstratio huic innititur Dilemmati: *Cogitare* et *Velle* sunt proprietates vel Compositi, vel Simplicis. Illud in

in secundo Dialogo perquiritur. In primo eas qua proprietates entis simplicis considero. Proprietates entis simplicis sunt vel activitates principales, vel aliarum activitatum modificationes. Conceditur, quod Cogitare et Velle non purae putae modificationes aliarum virium, sed principales vires esse debeant. Utrum una, vel plures, parum refert; possunt entia simplicia praeter Cogitandi et Volendi vires alias quoque habere, motrices, resistentes, attractivas et repulsivas, quotquot demum volumus, vel nomina excogitare valemus. Satis est, quod Cogitare et Velle non sint purae putae modificationes harum virium innominatarum, sed distinctae ab illis activitates principales. Jam autem omnes vires naturales nonnisi determinationes permutare, nonnisi modificationes reciproce commutare possunt, nunquam vero ipsis proprietates principales, et se ipsis subsistentes rerum activitates in nihilum convertere: unde Vis Cogitandi et Volendi, vel etiam Vires Cogitandi et Volendi nequeunt unquam per naturales permutationes adnihilari, quoteunque demum vi-

res

res a se ipsis distinctas amittant. Thaumaturga quaedam Omnipotentia requiritur ad ejusmodi Potentiam, Vim, Facultatem aut procreandam, aut adnihilandam.

Quod per omnes vires naturales nihil reapse adnihilari queat, a nemine, quem quidem sciam, Philosophorum unquam in dubium revocatum est. Quaelibet actio naturalis, prout inde a memoria dicitur, debet principium, medium, et finem habere suum; id est, debet pars aliqua temporis praeterlabi, donec peragatur. Ista temporis pars, quamcunque demum parvam illam velimus, nunquam tamen deponit naturam temporis, sed sua habet sibi invicem continuo subsequentia momenta. Ut igitur Vires Naturae actionem aliquam ponant, effectum aliquem producant, debent eo ipso actioni huic pedetentim adpropinquare, eandeinque praeparare, priusquam reapse consequatur. Actio autem, quae ita praeparari nequit, quam uno quasi ictu oculi produci oportet, cessat esse naturalis, nec valet produci a viribus, quae omnia in tem-

tempore peragenda habent. Omnes hae propositiones non erant ignotae Veteribus; videnturque mihi in illo PLATONIS *) de oppositis conditionibus et transactionibus ex uno in aliud ratiocinio non obscure haberi. Hinc ego illas Lectoribus meis Platonica quidem methodo, sed tamen aetati nostrae accommoda cum perspicuitate proponere satagebam. Sunt illae quidem fanae Rationi satis luculentae; verum per Legem Continui, ut opinor, magnum obtinent Certitudinis gradum. Neque illibenter etiam occasionem arripui, Lectores meos cum hac summi momenti doctrina notos reddendi; cum nos ad rectas de corporis animaque modificationibus ideas perducat, sine quibus mortem et vitam, mortalitatem et immortalitatem nunquam ea, qua opus est, exactitudine expendere valemus.

Quid autem? quaesitum erat: annon potest ulla fieri permutatio absque omni adnihilatione? annon debet cujusdam rei determinatio adnihilari, si determinacionem oppositam in ipsa realiter peragi oportet?

*) In Phaedone.

oporteat? Et quomodo hoc ipsum fuerit possibile, si vires naturae nihil prorsus adnihilare valeant? — Ego puto, isthac loci vocabulum *adnihilare* in abusum trahi. Si durum quodpiam corpus molle, vel siccum aliquod redditur humidum; tum forsitan durities et siccitas non debent adnihilari, mollities autem et humiditas in earum locum procreari. Ita etiam absque vel minima adnihilatione longum in breve, breve in longum, frigidum in calidum, calidum in frigidum, pulchrum in turpe, atque turpe in pulchrum permutari potest. Omnes modifications sunt per graduales transitiones sibi invicem connexae; et manifeste patet, easdem absque omni prorsus adnihilatione, aut procreatione secum invicem posse commutari. Generatim omnes determinaciones oppositae, quae per naturales permutationes in re aliqua sunt possibles, illiusmodi sunt, ut inter utrumque extreum etiam medium quoddam locum habeat suum. Reapse non nisi per plus vel minus inter se differunt. Permutate quasdam partes in suo situ, conferte istas proprius ad se invicem, il-

las

las autem magis a se invicem removete; tum pulchrum in turpe, longum vertetur in breve, etc. Obscurate ideas istas, illas clarificate; debilitate desideria ista, illas inclinationes confortate; tum perspicaciam Hominis, atque characterem ejusdem permutastis. Haec omnia per continuam aliquam per gradus transitionem, citra ullam adnihilationem, peragi possunt; atque ejusmodi permutations ipsi Naturae prorsus sunt possibles. Verum duae determinationes sibi oppositae, inter quas nullum datur medium, nunquam possunt naturaliter sibi invicem subsequi; nec ulla mihi inter leges Motus nota est, quae huic propositioni esset contraria. Hanc in rem legi meretur Patris Boscovich *Dissertatio de Lege Continui*, uti et ejusdem *Principia Philosophiae Naturalis*. Vir iste Legem Continui non mediocri sane lumine illustravit.

At vero quem in usum deserviant omnes istae sarcasticae pervestigationes in Socratico quodam dialogo? annon pro simplici illa Atheniensis Philosophi methodo plus justo sunt acuminosae?

Re-

Respondeo: Qui sic quaerit, oblitus
 fuisse videtur, me *Platonis*, non *Xeno-*
phantis, sequi vestigia. Posterior iste
 omnes Dialecticae argutias evitabat,
 suumque Magistrum et Amicum nonnisi
 sanam, atque inartificiosam Hominis ra-
 tionem sequi sinebat. In materiis mora-
 libus methodus ista est omni exceptione
 major; sed in metaphysicis inquisitioni-
 bus non satis procul deducit. *Plato*, cui
 Metaphysica in deliciis erat, Magistrum
 suum Pythagoraeum Philosophum fecerat,
 permisitque eum obscurissimis quibusque
 hujus scholae mysteriis esse initiatum.
 Dum *Xenophon* in aliquam labyrinthum
 offendit, mavult, ut caute declinet Sa-
 piens, quam ut semet exponat periculo.
Plato contra per omnes flexus et sinus
 Dialecticae ipsum circumducit, sinitque
 in illas etiam immergi perscrutationes,
 quae communem intellectus humani sphae-
 ram longe transcendunt. Possibile est,
 quod *Xenophon* menti illius Sapientis, qui
 Philosophiam e coelo ad nos detulerat,
 fidelior perficerit: ego nihilominus *Plato-*
nis methodum sequi debebam; cum ist-
 haec materia, mea quidem sententia,

nullam aliam argumentandi rationem admittat, atque ego malim subtilis haberi, quam rigori demonstrativo quidquam abrogasse videri. Haec Sophismatibus pugnandi licentia nostra aetate sub diversis admodum formis semet exhibuit spectabilem. Jam argutiis armata, jam sanae Rationis larva instrueta, jam qua Religionis amica, jam cum multiscii cujusdam Thrasymachi audacia, jam denique cum innocentii cujuspam nihil scientis Socratis simplicitate. Cum omnibus autem hisce Protei artibus nihil aliud intendebat, quam dubiam reddere de Animae Immortalitate sententiam, atque argumenta pro eadem pugnantia jam iudicare, jam etiam serio refutare. Quomodo jam defendant illam hujus Veritatis Amici? Per Socraticam ignorantiam potest quidem Dogmaticus in furias agi, verum certi nihil prorsus potest stabiliri. Reludicare? sic equidem nemo ullus convincitur. Nihil igitur ipsis manet reliquum, quam ut histrionisimos scepticorum pro eo reapse habeant, quod reapse sunt; et tum pro virili pergent demonstrationum aciem inimicis obvertere.

Quod

Quod Socratem meum ejusmodi si-
nam argumenta proferre, quae illo tem-
pore, in illo Philosophiae statu, non po-
terant ipsi fuisse cognita, id ipsum jam
in praefatione mea apertis ipse verbis
profitebar. Imo vero recentiorum quo-
que Philosophorum nomina palam expo-
nebam, a quibus plurimum mutuaveram.
Non poterat igitur meum fuisse proposi-
tum, Recentioribus quidquam de iis,
quae in sententiam de immortalitate Ani-
mae contulerant, meritis derogandi, at-
que adtribuendi Veteribus. In univer-
sum nosse oportet, quod Socrates meus
non sit ille Veterum Socrates. Ille Athe-
nis vixerat, inter ejusmodi populum,
qui primus erat verae Philosophiae stu-
diosus; verum non longo tunc adhuc
tempore. Nec idiotismus populi, nec ce-
rebrum Sophorum satis adhuc fuerat pro
philosophando comparatum. Ipse Socra-
tes idmodi Philosophorum erat discipulus,
qui rarissime aliquem in Animam suam
fixere obtutum; qui cuncta alia prius,
quam semetipsos, pro suarum contem-
plationum objecto assumere. Quo factum
oportuit, ut in doctrina de Anima huma-

na, ejusdemque destinationibus summa regnaret obscuritas. Veritates clarissimae nonnisi in magna quadam distantia exiguum quid micare videbantur, quin cognitae fuerint viae, quae ad ipsas perducerent. Ipse Socrates non poterat tunc praestitisse aliud, quam suos nonnisi ad singulares quaspiam Veritates defigere oculos, atque sese in sua vivendi ratione ab iisdem manuduci sinere. Philosopharum idearum evidentia, et rationabilis earundem nexus effectus est temporis, et indefessae multorum ingeniorum solertiae, quae veritatem diversimode contemplantur, ipsamque sic omni ex parte plena in luce collocant.

Post varia idmodi barbara saecula, quae amoenam illam Philosophiae sequentur auroram, saecula, quibus intellectus humanus superstitioni et tyrannidi thura cremare coactus erat, meliores tandem dies supervixit Philosophia. Omnes humani cognitionis partes per felicem Naturae observationem non mediocres sane fecere progressus. Ipsam Animam quoque nostram hacce via penitus cognoscere

scere didicimus. Per accuratiorem ipsius actionum et passionum observationem plura Data *) stabilita sunt, e quibus postmodum, mediante probata quadam methodo, certiora etiam deducita fuere collaria. Praecipuae Veritates Religionis Naturalis per emendatam Philosophiam ejusmodi obtinuere evidentiam, quae omnes Veterum ideas obscurat, et quasi in umbras reflectit. Non attigit quidem suum adhuc meridiem Philosophia, in quo ipsam nepotes forsitan nostri aliquando sunt conspecturi. Verum injuriam facturi essemus coetaneorum nostrorum meritis, si Recentioribus quoque non mediocres sane, respectu Philosophiae, praerogativas tribuere dubitamus. Ego nunquam Platonem cum Recentioribus, et utrosque cum tetricis illis medii aevi scriptoribus comparare poteram, quin gratias egerim Providentiae, quod me felicioribus hisce temporibus vitaliem spirare auram permiserit.

R 3

Dum

*) Retinui Autoris vocem: man hat mehrere
Data festgesetzt.

Dum de Immortalitate Animae diu multumque cogitasse, magnoque mihi labore constitisset, ut Fidem a Convictione distinguerem, isthaec mentem subiit cogitatio: Quibusnam argumentis posset *Socrates* aetate nostra se ipsum, amicosque suos de animae immortalitate plene persuasos reddere? Amicus Rationis, prout ipse fuerat, citra dubium ab aliis Philosophis cum gratiarum actione acceptaret omne id, quod in ipsorum sententia Rationi innititur; quacunque demum Patria prognati, quacunque demum Religionis secta obstricti essent. Possumus videlicet in rebus, quae Ratione nituntur, cum alio ejusdem prorsus esse sententiae, et tamen diversa alia minime pro fide dignis reputare, quae ille respectu Fidei pro indubitatis habet. Postquam Fraternalia Tolerantia mundo politico tantopere commendatur; profecto cumprimitis Veritatis Amicos eandem inter se fovere addecet. Quod ad Fidem pertinet, volumus uniuscujusque conscientiae et tranquillitati relinquere, quin nosmetipso super id judices constituamus. Ex vero Humanitatis amore nolumus nos illic movere

vere lites, ubi Cor clarius loquitur,
 quam Ratio; malumusque fiduciam no-
 stram in benignissimo Deo reponere,
 quod omnes nos justificaturus sit, si pro-
 pria nos conscientia nostra justificat. At
 vero illas, quae in Ratione fundantur
 Veritates fraterne inter nos volumus di-
 videre; volumus illis, veluti solis lumi-
 ne, in commune frui. Si tibi, mi Fra-
 ter! citius illuxit, quam mihi; esto con-
 tentus, sed non elatus animo; quodve
 hoc longe adhuc esset homine indignius,
 noli me id ipsum celare! — —

Qui hanc aut illam Veritatem in lu-
 ce collocavit, tuae erat Patriae, tuae Fi-
 dei? Bene illud quidem! Dulce est, cum
 humani generis Benefactoribus arctiori
 junctum esse necessitudine. Verum ideo
 illud ipsum, quod tuae Patriae Filii, aut
 Fidei tuae consortes in lucem protraxe-
 rant, non minus idmodi beneficium est,
 quo nos omnes Coelum beare voluit.
 Philosophia Graecorum Barbaris quoque
 profuit, contulitque ad id, ut vos etiam,
 qui haud ita pridem nomine isto liberati
 estis, ab hac barbarie redderemini immu-

nes. Sapientia nonnisi unicam, eamque communem omnibus novit Patriam, atque communem unam omnibus Religionem: et, licet plures toleret divisiones, improbat illa tamen Inmansuetum omne, omne Misanthropicum, quod vos probasi politicarum constitutionum vestrarum statuistis. — Ita credo, cogitaret aetate nostra Vir ejusmodi, cuius erat *Socrates*. Atque hac ego de causa recentioris Philosophiae Pallium, quo ego ipsum honorificavi, non male illi quadraturum existimaveram.

In secundo dialogo Demonstratio illa, quod Materia cogitare nequeat, pro sequentibus considerationibus subministrabat occasionem. Demonstravit *Cartesius*, quod Extensio et Repraesentationes diversae prorsus sint naturae, quodque Entis Cogitantis proprietates per extensionem et motum non se sinant explicari. Satis illi fuit demonstrasse, quod nequeant uni eidemque Substantiae attribui: nam secundum notum aliquod hujus Philosophi axioma non potest ejusmodi proprietas, quae per ideam cuiusdam rei

rei concipi nequit, eidem rei competere. Verum hoc ipsum axioma multiplicibus obnoxium erat contradictionibus: et quidem, quod proprietates extensi ac cogitantis entis attinet, petita fuit demonstratio, quod non modo disparis naturae, sed reapse etiam sibi invicem sint contradictoriae. De illis proprietatibus, quae sibi invicem e diametro sunt oppositae, certi sumus, quod nequeant uni eidemque convenire Subiecto; verum de proprietatibus illis, quae nihil prorsus inter se commune habent, non videbatur hoc plene etiam esse definitum.

Dum ego *Immaterialitatem* demonstrandam habebam, isthaec mihi oborta est difficultas; et, quamvis illius sim sententiae, quod axioma Cartesii, cuius antea memini, secure extra omne dubium queat collocari, quaerebam tamen aliam quandam demonstrandi rationem, quae minori cum difficultate secundum methodum Socraticam posset pertractari. Una de Plotini demonstrationibus, quam Recentiorum nonnulli fusius explanarunt,

commoditatem hanc adpromittere mihi
videbatur.

PLOTINUS *Ennead. IV. Lib. VII.*
 ita suum format argumentum: “ Uni-
 „ cuique Animae inest Vita quaedam,
 „ quaedam intrinseca sui conscientia.
 „ Jam si Anima ens corporeum foret,
 „ partium quoque illarum, ex quibus
 „ corporeum ens istud componitur, aut
 „ unaquaeque, aut unica solum, aut
 „ nulla profus Vitam, intrinsecam sui
 „ conscientiam, haberet. Si unica solum
 „ pars Vitam habet, pars illa erit Ani-
 „ ma. Plures sunt superfluae. Si autem
 „ unaquaeque pars, seorsim sumta, vitae
 „ expers sit, eam nec per compositionem
 „ est obtentura: nam multa vitae exper-
 „ tia non constituunt ullam vitam, nec
 „ multa intellectu carentia ullum intel-
 „ lectum. “ *)

Alibi

*) Plotinum prae manibus habeo. Titulus est:
*Plotini Platonorum facile Coriphæi Operum
 Philosophicorum omnium Libri LIV. in VI.
 Ennea-*

Alibi idem argumentum cum aliqua
permutatione sic repetit PLOTINUS : “
,, Si .

*Enneades distributi , ex antiquissimorum codi-
cum fide nunc primum graece editi ; cum
latina Marsilius Ficini interpretatione et com-
mentatione. Basileae ad Perneam Lecythum.
M. D. XXC. Locus supra citatus Ennead.
IV. Lib. VII. Cap. II. reapse sic sonat :*
 „ Nempe cum ubique animae insit necessa-
 „ rio vita, necessarium est, si id corpus,
 „ quod fingitur Anima, ex duobus pluri-
 „ busve corporibus componatur, aut am-
 „ bo, vel cuncta simul, aut etiam quomo-
 „ dolibet singulatim vitam insitam posside-
 „ re, aut hoc quidem habere vitam, illud
 „ vero nequaquam, aut neutrum hanc ha-
 „ bere. Si igitur uni tantum insit vita,
 „ unicum hoc erit anima. Sed quodnam
 „ corpus hoc est, quod vitam possidet ex
 „ se ipso ? Sane ignis, ūaer, aqua, terra
 „ suapte natura carent anima, et cuicun-
 „ que horum adest anima. Hoc vita uti-
 „ tur peregrina : alia vero praeter haec
 „ nulla sunt corpora. Tum vero quicun-
 „ que praeter ea elementa quaedam hōrsum
 „ introduxerunt alia corpora, ea tamen esse
 „ animas non dixerunt, neque vitam eis

„ ad-

„ Si Anima est corporea , quomodo se
 „ res habet cum partibus hujus corporis
 „ cogitantis ? an illae etiam sunt Ani-
 „ mae ? Et partes harum partium ? siqui-
 „ dem porro ita proceditur , patet uti-
 „ que , quod Magnitudo ad essentiam
 „ Animae nihil conferat ; quod tamen
 „ fieri oporteret , si Anima magnitudi-
 „ nem corpoream haberet . In nostro ca-
 „ sū unicuique parti integra inesset Ani-
 „ ma ; cum tamen magnitudine corporea
 „ nulla pars potentia sua aequalis possit
 „ esse Toti . Si autem partes non sunt
 „ Animae , etiam e partibus , quae Ani-
 „ mae non sunt , nulla poterit componi
 „ Anima . “ *) — Omnia haec argumen-
 ta

„ adtribuerunt . Siquis autem dixerit , nul-
 „ lo eorum habente vitam , congressum ta-
 „ men cunctorum vitam constituisse , absur-
 „ da loquetur . Omnino vero impossibile
 „ est , confluentiam corporum vitam facere ,
 „ et , quae intellectu carent , facere intel-
 „ lectum . “

*) Locus hic habetur Ennead . IV . Lib . VII .
 Cap . V . hisce verbis : “ Quid ergo dicent ,
 qui

ta speciem Veritatis praeseferunt; verum multa illis adhuc desunt ad perfectam evidentiā. Plotinus qua indubitatum praesupponit, quod ex partibus non viventibus nullum vivens Totum, ex partibus non cogitantibus nullum cogitans Totum
com-

„ qui animam corpus esse putant? Nunquid
„ quamlibet Animae partem in eodem vi-
„ ventis corpore esse Animam perinde, at-
„ que tota est, fatebuntur? ac rursus par-
„ tis uniuscujusque partem? Quod si id
„ fateantur, nihil utique magnitudo ad
„ essentiam animae conferebat: tametsi
„ conferre oportuit, ubi Anima sit quan-
„ tum quiddam: verumtamen totum ipsius
„ Animae hic erit ubique; quod corpori
„ convenire non potest, scilicet ut queat
„ idem totum simul in pluribus esse, at-
„ que pars idem penitus esse valeat, quod
„ et totum. Sin autem partium quamlibet
„ animam esse negent, certe ex inanimatis
„ apud illos componetur. Praeterea si hunc
„ in modum uniuscujusque Animae magni-
„ tudo definita erit, neque consequenter
„ ad utrumque trācta, sive ad *majus* vel
„ *minus*, erit amplius Anima.“

componi queat; cur potest autem ex partibus non regularibus unum regulare Totum, ex tonis non harmonicis unus Concertus harmonicus, ex membris impotentibus unus Status potentissimus conformari?

Illud quoque neveram, quod secundum systema illius Scholae, cui ego nimum quantum adhaerere dicor, *Motus ex idmodi viribus*, quae motus non sunt, atque *Extenso ex idmodi Substantiarum proprietatibus*, quae longe aliud, quam *extenso*, sunt, oriri debeant. Haec igitur Schola nequit sanc propositionem Plotini in omnibus omnino casibus sine exceptione ratam habere: et tamen videtur haec ipsa propositio, respectu Entis Cogitantis perfectam obtinere certitudinem. Cogitans Totum e partibus non cogitantibus videtur omnibus sanae Rationi esse contradictorium.

Ut itaque Propositio haec plene convincens esset, necessem adhuc fuerat inquirere, quaenam proprietates convenire queant Toti, quin convenienter partibus,
et

et quae non? — Primum occurrit, quod ejusmodi proprietates, quae a compositione, partiumque conformatione dependent, partibus constitutivis necessario non convenient. Hujus generis sunt, Figura, Magnitudo, Ordo, Harmonia, Vis elastica, Vis pulveris pyrii, et similia. — Tum illud quoque compertum erat, quod saepius partium constitutivarum proprietates in Toto ejusmodi producant phoenomena, quae secundum imaginationem nostram ab illis prorsus sunt distincta. Colores compositi videntur nobis dissimiles esse simplicibus. Compositos animi motus longe aliter persentisci mus, quam simplices, ex quibus consistunt: Partes bene oientes, si accumulentur, generant prorsus distinctum, interdum etiam valde ingratum odorem; prout vice versa per commixtionem male olientium gummatum gratissimus odor obtineri potest. *) Tonus ille triplex in Musica, si simul semelque intonetur, longe alium praefat effectum, quam toni simplices, ex quibus ipse coalescit.

Pro-

*) Vid. Halleri Physiolog. Tom. V. p. 169.

Proprietates igitur *Compositi*, quae partibus constitutivis necessario non conveniunt, profluunt vel ex ipsa harum partium conformatione et compositione, vel sunt purae putae apparentiae; videlicet proprietates st̄ actiones partium constitutivarum, quas sensus nostri nequeunt a se invicem secernere aut distinguere, in Toto nobis aliter sese repraesentant, quam reapse sint. His praemissis applicationem hujus considerationis ad *Plotini* propositionem faciebam.

Facultas Cogitandi non potest esse hujus generis proprietas; nam omnes istae proprietates manifeste sunt actiones Facultatis Cogitandi, vel saltem praesupponunt eandem. Compositio et conformatio partium exposcit collationem et comparationem partium inter se; et phoenomena non tam sunt in rebus extra nos positis, quam in imaginatione reponenda. Utrumque genus igitur actiones sunt Animae, et nequeunt ejusdem essentiam efficere. Hinc ex partibus non cogitantibus non potest componi unum cogitans Totum.

Alte-

Altera quoque Demonstrationis pars uberiorem postulabat explanationem. Erant Philosophi, qui atomis corporum obscuras ideas adscribebant, ex quibus postmodum, secundum ipsorum opinionem, in Toto clarae ac distinctae ideae oriuntur. Isthic erat demonstrandum, quod id ipsum reapse impossibile sit, et quod ad minimum usia saltem ex his atomis tam distinctas, tam veras, tam vivas, etc., ideas habere deberet, quam illas omnes habeat Homo totus. Quem in finem auxilio mihi fuit illa, quam D. Plouquet eleganter deduxit, propositio: *quod multi gradus debiliores simul sumti nequeant efficere unum gradum fortiorum.* Datatur nimirum alia quantitas extensiva, quae in multitudine partium consistit, ex quibus componitur; et alia quantitas intensiva, quae etiam *Gradus* appellatur. Si plures partes accendant, tum quantitas primi illius generis increscit; verum *Gradus* exposcit incrementum internum, non autem majorem extensionem. Infundatur aquae tepidae alia aqua tepida, tum quantitas aquae, non vero gradus caloris augebitur. Multa corpora, quae ae-

quali celeritate moventur, si connexa sunt, majorem massam efficiunt, sed non majorem celeritatem. Gradus in qualibet parte tantus est, quantus est in Toto; unde multitudo partium non permutat gradum. Quod si fieri oporteat, actiones multitudinis in unam concentrari debent, ubi jam tantum virtutis intrinsecae accedit, quantum decedit extensioni. Hac ratione multa debilia lumina unum locum fortius illuminare, multa vitra caustica unum corpus fortius accendere valent. Quo plures notas unum idemque Subiectum in quodam objecto animadvertis, eo clarior erit hujus objecti repraesentatio in illo Subiecto. Unde naturaliter sequitur, quod omnes obscurae atomorum pone se invicem positarum ideae nequeant simul sumtac unam distinctam, imo ne quidem unam minus obscuram ideam efficere, si non sint in quodam subiecto concentratae, ab uno eodemque ente simplici collectae, atque uno quasi obtutu conspectae.

Plurima tertii dialogi mei argumenta sunt e BAUMGARTENI *Metaphysica*, et e RAIMARI *principiis Religionis Naturalis*

ralis Veritatibus de promta. Circa Demonstrationem ex Officiorum ac Jurium nostrorum Harmonia desumptam jam in Praefatione dixeram, quod alibi nuspam eandem repererim. Praesuppono ego in illa, quod mortis poenae in certis quibusdam casibus sint de Jure. Verum Marchio Beccaria in suo *de delictis et poenis tractatu* videtur hanc sententiam in dubium vocare. Cum Philosophus iste solum et unice pacto sociali inniti putet Jus puniendi, ex quo nimurum pacto mortis poenarum injustitia facilis negotio deducitur; opinionem hanc, in secunda hac editione, in quadam adnotatione refutare satagebam. Ipse Marchio non potest sibi temperare, quin mortis poenam in nonnullis casibus inevitabilem pronunciet. Vult ille quidem ex eo quoddam *Jus necessitatis* efficere; verum *Jus necessitatis* quoque in naturali quodam jure fundetur, est necesse: secus enim est mera *Violentia*. Generatim nequit propositio illa revocari in dubium, quod omnia hujus mundi pacta nullum novum jus generent, sed solum jura imperfecta in perfecta commutent. Si igitur jus pu-

niendi non esset in Jure Naturae fundatum, per nullum omnino pactum posset induci. Posito autem, quod jus punendi, absque pacto, sit jus imperfectum; licet ego hoc absurdum existimem: mea nihilominus demonstratio de firmitate sua nil quidquam amittet. Nam coram tribunali Conscientiae jura imperfecta perinde obligatoria sunt, quam perfecta. Jus imperfectum, quemquam mortis poena afficiendi, praesupponit saltem imperfectam aliquam obligationem, poenam hanc sustinendi. Obligatio autem haec absurda foret, si Anima nostra non esset immortalis.

In libro illo, cui titulus: *Neue Bibliothek der schönen Wissenschaften*, Tom. VI. continetur plenaria mei PHAE-DONIS recensio, crisisque in eundem. Egregiae illic factae sunt observationes. Animadversiones in Dialogum Philosophicum, quae *Recensens* praemittit, possunt aliis exemplo esse, quomodo aequus quisunque rerum litteriarum arbiter semet orbi eruditio rei in examen abs se vocatae gnarum probare debeat, antequam

Di-

Dictatorem agere praesumat. — Ibi igitur Demonstratio mea, circa officiorum collisionem facta, adducitur, circulique vitiosi arguitur. Dicitur nempe Pag. 331:

„ Quod officii atque obligationis sit, pro
 „ quocunque demum alio nosmet vitae
 „ nostrae conservatione abdicare, nullo
 „ alio argumento nobis constat, quam
 „ quod sublimiores fines, atque Vita sit,
 „ nos nosse existimemus. Siquidem hoc
 „ erroneum esse demonstraretur, eo
 „ ipso officia illa cessarent, cumque ipsis
 „ omnis etiam tolleretur contradic̄tio. “

Ego me per hoc nullatenus refutatum arbitror. Demonstratio diversis potest formari viis, quae absque circulo ad scopum perducunt. Juverit semel ab obligatione ad vitam socialem digredi. Haec independenter ab immortalitate Animae potest demonstrari; nititur itaque, prout omnes Veritates morales, principiis metaphysicis. A longiori hujus argumenti deductione spero me absolutum iri, cum me manifeste procul nimis deduceret, atque propositiones istas ab aliis jam satis superque demonstratas sciamus. Jam vero: nulla omnino potest subsistere huma-

na Societas, si Totum in certis quibusdam casibus jure non gaudeat, cuiuspiam membra sui vitam Bono communi consecrandi. Hanc sententiam ne quidem *Epicurus*, *Spinoza*, et *Hobbesius* negare poterant, licet nullum scopum sublimiorrem, quam Vita sit, agnoscere voluerint. Probe illi perspexerant, quod nulla vita socialis inter homines locum habere queat, nisi Jus istud Toti competit. Verum, quoniam tunc adhuc ideae *Juris* et *Officii* non fuerant satis evolutae, non poterat observari, quod Jus istud ex parte *Civis* praesupponat officium et obligationem semet saluti Totius consecrandi; quodque Officium istud Naturae non sit accommodum, si Anima nostra non sit immortalis.

Possum ego etiam, prout in ultimo dialogo factum est, a jure offensam rependendi praescindere; quod reapse etiam in statu Naturae homini competere debet: quemadmodum in nota ad pag. 216. demonstratum est. Adfert quidem *Rezensens* sequentem adversus argumenta mea animadversionem: “ Jus Retorsionis

„ in

„ in statu naturali, et jus puniendi in
„ Societate Civili sunt jura reapse di-
„ versa. Primum spectat praecise per-
„ sonam illam, quae offendit, ut videli-
„ cet ipsi potentia et voluntas nobis ite-
„ rum nocendi adimatur: alterum con-
„ cernit omnia reliqua Societatis mem-
„ bra, et personas, quae nos non offend-
„ derunt; ut videlicet a delicto per au-
„ ditionem malorum physicorum, quae
„ ipsas, si deliquerint, mansura sunt, de-
„ terreantur. Primum fundatur solum-
„ modo in jure se ipsum defendendi,
„ vel potius cum eo unum idemque jus
„ est; quo etiam comprehenditur jus pro
„ ipso offendente, vi cuius semet vindic-
„ etiae nostrae opponere ipsi sit licitum.
„ Alterum vero fundatur in spontanea
„ omnium perfectorum jurium suorum in
„ Societatem translatione; per quod igi-
„ tur ex parte offendentis jus semet ad-
„ versus vindictam ab universa Societa-
„ te provenientem defendendi sublatum
„ est. “ Verum non video ego, quo-
modo ipsi distinctiones istae concedi
queant. Jus mutuae retorsionis in statu

naturali? Ego nullum novi jus ejusmodi
purae putae retorsionis, sive jus vindicandi
rependendi, in natura humana;
quod malum facit, quia malum factum
est: per quod nempe malum physicum
multiplicatur, quin promoveatur Bonum
Morale. Et cur non deberet Homo in
statu Naturae propositum habere alios ab
offensione deterrendi? an ad hoc requiri-
tur pactum aliquod sociale? debetne Ho-
mo prius aliquam sui juris partem in So-
cietatem transtulisse, quam aliis ostendat,
se posse offensam reddere? — Denique
jus oppositum, semet vindictae opponen-
di, quod offendenti competere oporteret,
manifeste tollit Veritatum Moralium har-
moniam, statuitque casum, in quo ex
utraque parte jus aequale esse potest; in
quo igitur necessario Majoritas decidere
debet, videlicet DUELLUM NATURA-
LE. Ejusmodi sententiam, quae in sy-
stemate Veritatum Moralium turbas ex-
citat, ego non minus absurdam reproto,
quam si ipsam Veritatum metaphysicarum
harmoniam per hoc conturbari oporteret.
Ad evitandam hanc dissonantiam etiam
in statu naturae ex parte offendentis osli-
cium

ciūm sive obligationem acceptare debemus, vindictam perferendi. — Si offendenti in statu naturae competeteret jus fecerit defendendi, illud neque in societate absque actione posset persistere. Nam si offensus suum retorsionis jus, et offendens suum jus defensionis in Societatem transferret, se se invicem eliderent, neque ulla posset sequi poena. Nunquam igitur mundum moralem a contradictionibus liberare poterimus, nisi futuram aliquam vitam admittere velimus.

Dari autem casus ejusmodi, in quibus mortis poena unicum est remedium, secuturas offensas praecavendi, nec ipse Beccaria dubitavit; licet jure merito non tam copiosos existimet, quot reapse in introductis juribus criminalibus acceptantur. Generatim poena et delictum pari passu ambulant. Prout istud nullos novit limites, ita nec illa; neque est gradus tam excessivus, quin ipsa eundem queat attingere. Nec inter tormentum et mortem dantur limites determinati, qui Justitiae praesignari possent. Unde si in nonnullis casibus licitum est, aliquem in


poenam tormentis afficere; ejusmodi quoque casus dari oportet, in quibus licitum sit, in poenam morte multare: cum a tormentis ad mortem gradatim fiat transitus, qui nuspiciam determinatis interrumpitur limitibus. — Quod Recensens sub finem adhuc virga censoria notat, quod videlicet possit quidem a natura rerum ad jus, sed non a jure ad rerum naturam duci argumentum, mihi non videatur tanti esse momenti. Si redditus fiat in circulum, non est licitus: si autem in ordine naturae Adversarius meus aliud concedit, aliud negat; annon mihi tunc ex concessis ad jus, et ex jure ad illam naturae ordinis partem, quam concedere noluit, formare liceat argumentum?


Errata sensum mutantia Corrige.


Pag. Lin.


| | | | |
|------|----|--------------|--------------------------------|
| 22 | 10 | quae | quibus |
| ead. | 12 | confueverunt | confuevit |
| 47 | 18 | et | { Ita sane ? Ita sane ! |
| 54 | 20 | | { |
| 56 | 14 | in not. | adjudicemus abjudicemus |
| 106 | 18 | | distensio diffensio |
| 112 | 7 | | exhauribilem inexhauribi- |
| | | | lem |
| 113 | 10 | Ipsa | Ipse |
| 126 | 8 | relinquit | relinquunt |
| 134 | 10 | ipse | ipsi |
| 155 | 2 | omnem ! | omen ! |
| 260 | 23 | humani | humanae |


Leviora, si quae repererit, Lector Bene-
volus corrigat, rogamus.











(6762)

232, 282 s, 1 N.

2 gen. T. Ichii

vgl. foedde IV 12/408, 6

Hulse

